ΙΑΤΡΙΚΗ

SEU

NOVUM MEDICINÆ RATIONALIS SYSTEMA

In quatuor tomis digestum, quorum duo priores doctrinam de natura et causis morborum; duo posteriores vero doctrinam medicamentorum simpliciorum et compositorum, seu materiam medicam et pharmacopœiam, atque therapiam generalem tradunt.

AUCTORE

F. SWEDIAUR, M. D.

Ratione et experientia.
Quicunque experitur, auget scientiam; qui vero credit, auget errorem.
ABOULCACEM.

VOLUMEN PRIMUM.

PARISIIS,

Apud GABON, Bibliopolam *Place de l'École de Médecine.*
AUG. MÉQUIGNON natu maj. filium, *rue de l'Ecole de Medecine.*

MDCCCXII.

TYPIS J. M. EBERHARTI, IMPERIALIS FRANCIÆ COLLEGII TYPOGRAPHI.

NOVUM
NOSOLOGIÆ METHODICÆ
SYSTEMA,

AUCTORE

F. SWEDIAUR, M. D.

In his paginis animus nobis est agere, non de experientia, quæ ratione non utitur; sed de iis præsidiis, quæ methodo et ratione inveniuntur. — Quandoquidem igitur morbi curationem invenire est propositum, haud dubie necessum est, prius morborum numerum scire.

GALEN. *de Method. medend. L. I.*

VOLUMEN PRIMUM.

PARISIIS,

Apud { GABON, Bibliopolam *Place de l'Ecole de Médecine.*
Aug. MEQUIGNON natu maj. filium, *rue de l'Ecole de Médecine.*

MDCCCXII.

TYPIS J. M. EBERHARTI, IMPERIALIS FRANCIÆ COLLEGII TYPOGRAPHI.

Nullum exemplar hujus libri genuinum agnosco, nisi manu mea signatum.

F. Swediaur

PRÆFATIO.

En novum Nosologiæ methodicæ Systema, fere tale, quale praxin medicam iniens, pro usu meo exoptassem, et quod in perscrutandis natura et causis morborum utilissimum mihi fuisse persuasum habeo.

Numerus morborum, quibus homines, præcipue in populosis societatibus simul viventes, subjecti sunt, adeo magnus est; morbique sæpe facie externa similes, indole et natura tamen plurimum differunt, ita ut Medico juniori, et non raro etiam practico consummato difficile sit, eos inter se rite distinguere; a quo tamen fonte solo recta et efficax medendi ratio dependet.

Ex hac causa Medici plures, sæculo præcedente, systemata morborum condere tentarunt, quæ non solum morbos omnes sub certis classibus et ordinibus redactos, ac in genera et species divisos comprehenderent, sed etiam notas characteristicas, quibus inter se differunt, enumerarent.

F. Boissier de Sauvages primus fuit, qui opus tale elaborare suscepit (nam ea quæ *Platerus* ante illum tentavit, vix attentionem merentur); ejusque Nosologia methodica, præcipue editio quæ in duobus tomis Amstelodami in-4° 1768 prodiit, etsi opiniones theoreticas sui temporis cum factis et observationibus ubique intermixtas, hincque jam multa obsoleta, vaga aut erronea contineat, tamen adhuc hodie primum locum tenet.

Post eum Linnaeus, Vogel, Sagar, Cullen, Daniel, Darwin, aliique eandem semitam inæquali successu presserunt. Inter hos Cullen ingenio et judicio practico eminens, et reducendo numero generum morborum, simplicitati et perspicacitati maxime studens, plures errores et defectus prædecessorum suorum feliciter emendavit; sed ipse, partim ex prædilectione theoriæ non sufficienter stabilitæ, partim ex defectu eruditionis, partim etiam ex neglectu linguæ græcæ, in errores graves non paucos incidit. Opus suum præterea lacunis plurimis, præcipue in enumeratione specierum, varietatum et causarum morborum, scatet; et classis ejus quinta, quæ morbos locales continet, sub omni respectu sterilis et manca remansit. Ne quis vero me judicium præposterum de hoc opere, cujus merita cæterum lubens agnosco,

ferre arguat, ordines et genera Culleni in sequentibus ubique comparative cum meis retuli, ut lector per se judicare valeat.

De auctoribus viventibus, qui post Cullenum de hac re scripserunt, ex rationibus obviis taceo; Ploucqueto solo excepto, utpote quem ob multa scripta egregia et utilia, quæ ad hanc rem spectant, præterire non licet.

Progressus scientiarum, medicinæ auxiliatricium, Physices, Chemiæ, Botanices et Anatomiæ, a 30 aut 40 abhinc annis sane magni fuerunt. Systema vasorum lymphaticorum opera Mascagni eximie investigatum; fluidi invisibilis, globum terrestrem undique pervadentis, influxus mirificus in systema nervosum a Galvani demonstratus; fluida et solida, corpus humanum constituentia, a chemicis clarissimis investigata, naturam et indolem ac causas plurium morborum, antea altis tenebris sepultas, multum illustrarunt. Substantiæ ad Curationem morborum servientes, vegetabiles et minerales, fere omnes, earumque præparata varia, nunc longe exactius cognita sunt, ut alibi in mea Materia medica et Pharmacopoeia, aliquot abhinc annis editis, docui.

Hæc aliaque plura, ex quibus pathologiæ æque ac methodo medendi magna lux affulsit, a medicis multis adhuc vel plane ignorantur,

vel vilipenduntur; indeque tot vagæ, ac futiles, aut erroneæ circa naturam et causas morborum, æque ac circa actionem, et virtutes medicamentorum explicationes et commentationes, quæ fortasse quidem plebis stupidæ et ignaræ admirationem quandoque conciliant, sed medico philosopho in consultationibus omnino nauseam movent.

Jam anno 1772 studiis medicinæ theoreticæ et scientiarum ei auxiliatricium absolutis, sub itineribus meis in diversis Europæ partibus, quæ scopo memet sub auspiciis medicorum, fama ac litteris celebrium, in cognoscendis et curandis morbis aptiorem reddendi susceperam, animadversaria medica pro usu meo conscribere cœpi, idque per plures annos sedulo continuans tandem, postquam editio quarta synopsis Nosologiæ methodicæ CULLENI 1785 prodiit, animum cepi, ipse Systema Nosologicum novum conscribendi, quod ab hoc tempore ulterius elaboratum jam hic Medicis offero.

In elaborando hoc opere intentio fuit, errores eorum, qui de hac re ante me scripserunt, sollicite corrigendi, defectus supplendi, ac inventa nova omnia, medico practico scitu vere utilia; aliaque plura, profundiore naturæ studio et observationibus certioribus, sæculo

elapso acquisita, naturam et causas morborum illustrantia, hic sub uno quasi intuitu exhibendi, sicque limites artis, quantum tempora permittunt, quodammodo extendendi.

Hæc omnia, partim in observationibus generalibus, quas classibus et ordinibus morborum præfixi, partim in delineatione characterum generum et specierum annotavi. Hypothetica omnia, ac theoretica vaga ubique caute rejeci, et dogmatum scholarum omnino incurius, nihil, ut spero, ullibi admisi, nisi observationibus exactis et experimentis multiplicibus probe stabilitum.

In denominandis classibus, ordinibus ac generibus morborum nomina græca adhibui, probe persuasus linguam græcam præ omni alia huic scopo respondere. Ubertas et flexilitas ejus, linguam latinam longe superans, præcipue in denominandis generibus, ubi exactiore definitione et sæpissime comprehensione ac collectione plurium idearum in unum verbum requiritur, optime servit. Nomina itaque antiqua a Græcis inventa, quæ naturam et characterem morbi dati recte exprimunt, ubique retinui, et in eadem cum illis significatione semper adhibui; sed nomina veterum æque ac recentiorum, sive græca sive latina, vaga aut erroneam rei ideam suppeditantia,

sine ulla hæsitatione rejeci, aliaque nova condidi, indolem morborum variorum rectius exprimentia. Præterea ad sinistram interpretationem omnem evitandam, nominibus generum ubique vocabula ipsa græca, eorumque etymologiam cum nomine latino subjunxi. Post characterem generis datum, synonyma præcipua ab auctoribus celebrioribus usitata, ac deinde etiam nomen morbi Anglicum, Gallicum et Germanicum adjeci. In denotandis speciebus et varietatibus morborum terminos latinos, ad studium Nosologiæ tyronibus facilius reddendum, prætuli.

Ratio cur opus hoc in lingua mortua potius quam in vernacula exaraverim, omni medico instructo facile elucebit. Linguæ vivæ in genere nimis vagæ sunt, et perpetuæ mutationi subjectæ, nihil satis fixi et exacti habent, quo scopo scientifico medico sese commendent.

Hæc morborum nomenclatura e contra, et descriptio severa, cui me adstrinxi, cum nomenclatura systematica botanicorum, et philosophica chemicorum recentiorum juncta, linguam medicam, mea opinione, ex omni parte magis accuratam et perfectam suppeditat.

Latini litteram *C* a Græcorum *Kappa* mutuantes probabiliter eandem ut Græci pronun-

ciarunt; recentiores vero litteram C ante E aut I positam ubique, modo Græcis contrario, ut Z pronunciant; ideo in mea nomenclatura in iis casibus litteram Græcorum K ubique restitui.

Jam necessum est, ut instituti propositi rationem reddam, et ad particularia mei systematis præcipua descendam.

Morbos corporis humani omnes, mihi saltem cognitos, sub quinque classibus enumeravi.

Classis prima Pyrexias seu morbos febriles. *Secunda* Dyseccrises seu excretiones abnormes. *Tertia* Dyserethisias et Dysæsthesias, seu morbos ex irritabilitate fibrarum motricium, aut ex sensibilitate nervorum abnormi ortos. *Quarta* Cacochymias et Cachexias, seu morbos ex fluidorum aut solidorum vitio natos; et *Quinta* denique Morbos locales continet.

Classis I. Pyrexiarum, seu morborum febrilium, in tres Ordines divisa est.

Ord. I. tractat *Febres* proprie sic dictas; Ord. II. Inflammationes seu *Phlegmasias*; Ord. III. *Exanthemata*.—Cullen ad hanc Classem quoque refert *Profluvia*, et *Hæmorrha-*

gias; sed morbos ab eo sub Profluviis recensitos rectius ad Inflammationes, et Hæmorrhagias potius ad Classem peculiarem excretionum abnormium pertinere censui.

Accidentales Febrium varietates, male a medicis intellectæ, hactenus magnam in divisione Febrium confusionem induxerunt. Febres multæ ejusdem indolis in diversis hominibus, aut diversis temporibus occurrentes, ob symptomata eminentiora, sæpe ut essentialiter differentes consideratæ fuerunt. Hæ febrium putatitiæ novitates et divisiones, ut STOLL jam recte notavit, ex non necessariis notis repetitæ, Pyretologiam mire turbarunt, aut verius ne ulla hucusque practica Febrium classificatio condi potuerit, impediverunt. Hæc circa Febres monita cum iis quæ G. FORDYCE docuit, et quæ ipse in nosocomiis, et deinde in praxi privata a quadraginta abhinc annis constanter et sedulo notavi, me ad construendum novum Febrium systema determinaverunt, in quo nihil theoretici assumpsi, sed solis observationibus ductus, errores aliorum evitare studui.

Numerosissimas Febres, a Græcis et recentioribus descriptas, ad undecim genera reduxi; et forsan adhuc rectius, excludendo Febrem rheumaticam et Febrem pituitosam, ad novem

genera reducere potuissem. Hæc Febrium divisio, ni fallor, omnes includit Febres, essentialiter inter se distinctas, et medico practico cognitu revera utiles. Primo Febres primarias, seu ut dicunt, *protopathicas;* deinde secundarias, seu *symptomaticas* delineavi. Priores, sub sectionibus quatuor, in *Diarias*, *Continuas*, *Remittentes* et *Intermittentes* divisi. Febrem Diariam seu Ephemeram, nonnisi unicam agnosco.

Sub *Continuis*, sex genera admisi, a se invicem acute distincta; Viz: 1°. Sthenopyram, seu Febrem valida reactione cordis et systematis arteriosi stipatam, vulgo inflammatoriam dictam. 2°. Asthenopyram, seu Febrem debilitate vis vitalis notabili junctam. 3 . Phlegmapyram, seu Febrem pituitosam. 4°. Septorrhepyram, seu Febrem ad putrefactionem aut gangrænam tendentem. 5°. Loinopyram *s.* Febrem pestilentialem aut Pestem. 6°. Ochropyram *s.* Febrem novam, vulgo *Flavam* dictam.

Sub *Remittentibus*, genera tria: 1°. Helopyram *s.* Febrem paludum; 2°. Cholepyram *s.* Febrem biliosam, proprie sic dictam; et 3°. Febrem rheumaticam posui.

Ex his Febrem pituitosam, et rheumaticam potius ex auctoritate practicorum illus-

trium admisi; quum raro per se, sed plerumque cum inflammatione topica junctæ occurrunt.

Sub *Febribus intermittentibus*, nonnisi unicum genus admitto. Typus quo hæ febres differunt, ne quidem pro specie, et adhuc minus pro genere construendo valet.

Sub *Febribus symptomaticis*, 1° Febrem colliquativam; 2° Febrem hecticam; 3° Febriculam, seu Febrem nervosam proprie sic dictam; 4° Febrem lacteam; 5° denique Febrem verminosam admisi.

In observationibus generalibus, quas huic Ordini præfixi, loco theoriæ febrium hypotheticæ, symptomata ac causas earum præcipuas investigare studui.

Nomen Febris Græcum *Pyretos* masculinum est, ad genera febrium sub uno nomine denotanda minus aptum; sed vox *Pyr*, ab Hippocrate jam passim pro febre violenta usitatum, sese obtulit, quod adjecta littera *a* nomen fœmininum, auribus nostris pro exprimenda febre magis accommodatum præbet; et adjuncto vocabulo, characterem febris cujusvis particularem denotante, nomina pro exprimendis omnibus generibus febrium distincta, et fixa obtinui: ut Sthenopyra, Asthenopyra, Septorrhepyra etc. Hæc posterior vulgo et er-

ronee Febris putrida appellatur; nam in corpore vivente nullam unquam putrefactionem, sed sæpe dispositionem ad putrefactionem observamus, quod vocabulum græcum Septorrhepes apprime exprimit.

Si quis jam genera Febrium mox dicta, ac nomina nova illis a me data cum classificatione Febrium Culleni compareat, facile videbit, quam manca, et pro practico omnino sterilis sit Culleni divisio.

Ord. II. Pyrexiarum continet *Phlegmasias*. Cullen sub hoc ordine tumultuarie et confuse enumerat primo phlogoses varias locales cum apostemate et gangræna; deinde inflammationes viscerum ac peritonæi; hisque ad finem subjungit Rheumatismum, arthrodyniam, odontalgiam et podagram. Ego ad hunc ordinem refero omnes morbos inflammatorios febre stipatos, eosque in tres sectiones divido. Sectio prima includit inflammationes febriles membranæ cellularis, glandularum aut viscerum internorum; 2da Inflammationes membranæ mucosæ; 3tia denique inflammationes membranæ fibrosæ. Hæ inflammationes, essentialiter inter se distinctæ, hanc divisionem postulant. Nomina ad denotandos morbos ad hunc ordinem spectantes, pleraque

usitata retinui; addendo solum ad finem cujusvis (paucis exceptis) vocem *itis*, ad æqualitatem obtinendam. CULLEN Catarrhum et Dysenteriam ad profluvia, et aphtham ac erysipelas ad Exanthemata refert: Hos morbos rectius ad Phlegmasias pertinere credo. — Inflammationes partium externarum, earumque sequelas, plerumque sine febre occurentes, ad classem morborum localium relegavi.

ORD. III. *Exanthemata*, quæ sub nominibus vulgo adoptatis in contagiosa, et non contagiosa divisi.

CLASSIS II. Comprehendit DYSECCRISES, seu excretiones corporis morbosas, sub tribus ordinibus consideratas.

ORD. I. Sistit *Apokenoses* seu Fluxus. Huc non solum refero Hæmorrhagias, a CULLENO sub pyrexiis positas, sed etiam evacuationes muci, bilis, urinæ, aliorumve humorum abnormes, quas, ob utilitatem in praxi evidentem, in *activas* et *passivas* divisi. Hæmorrhagiam ut genus posui, quum hæmorrhagias variarum corporis partium potius ut totidem species considerandas esse censeo. Idem de Blennorrhagiis aliisve fluxibus activis æque ac passivis valet. Nomen *Gonorrhϙæ*, utpote flu-

xum seminis denotans et falsam omnino morbi ideam repræsentans, expunxi, cum in morbo sic nominato revera non semen, sed mucus ex urethra excernatur. — *Choleræ morbo* nomen cholerrhagiæ melius competere puto. — Morbo sub nomine *fluxus hepatici* aut *morbi nigri* ab auctoribus descripto, et a Græcis rectius *Melœna* appellato, nomen Melænorrhagiæ indidi; præcipue cum fluxus hic plerumque non ex hepate, sed potius ex liene et vasis meseraicis ortum suum ducat.

Diabetem, quam Cullen ad spasmos refert, rectius ad apokenoses pertinere credo. — Nomen Urorrhagiæ melius naturam hujus morbi exprimit, quam *diabetes* aut *dipsacus* veterum, ut ex etymologia patet.

Sub *Sectione tertia* hujus ordinis, excretiones humorum involuntarias, vulgo Incontinentias dictas, introduxi. Huc præter alia Spermacrasia, seu fluxus seminis abnormis recte pertinet.

Ord. II. Dyseccrisium continet *Epischeses*, seu retententiones aut suppressiones excernendorum. Hic nihil habeo quod moneam, nisi quod omnibus generibus, sub hoc ordine recensitis, vocabulum *Ischo* semper præposui, dum recentiores plures idem, modo genio

linguæ græcæ contrario, ad finem nominum apposuerunt; unde nomina *Hæmischesis*, *Lochiischesis*, *Menischesis* etc. At Græci nunquam urischesis, sed semper genio linguæ conformiter *Ischuria* scribunt.—Cæterum numerum horum morborum, in praxi adeo frequenter occurentium, hic completum dare tentavi.

Cullen choleram, et diarrhœam cum diabete ad spasmos; et ischuriam aliosve fluxus varios ad morbos locales refert.

Ord. III. Dyseccrisium continet *Apoplaneses*, circa quas opinio medicorum theoreticorum fluctuat; sed practici, nulli systemati peculiari addicti, mecum, ni fallor, genera hic recensita approbabunt.

Classis tertia exhibet morbos ex irritabilitate fibrarum motricium, aut ex sensibilitate nervorum abnormi ortos. Observationes generales, quas huic classi præfixi, continent, ut credo, omnia quæ de his morbis, circa quos veteres nobis nihil notatu dignum reliquerunt, certa et notatu digna hactenus comperta habemus.

Ad morbos itaque sub hac classe recensitos distinctius intelligendos, in observationibus generalibus primo ideam irritabilitatis, sensi-

bilitatis, atque vis vitæ activæ, æque ac roboris fibrarum passivi, earumque status abnormes exactius, quam quidem hactenus factum fuisse memini, prætermissa omni theoria hypothetica, stabilire tentavi. Ad finem pauca circa doctrinam temperamentorum adjeci.

Morbos numerosos ad hanc classem pertinentes et a scriptoribus nosologicis hactenus vel incomplete vel alieno loco traditos, in sex ordines sequentes dispescere necessarium duxi. Viz. 1°. In Eclyses. 2. Spasmos. 3. Algemata. 4. Dyskinesias. 5. Dysorexias, et 6. Paranoias. Medici practici utilitatem hujus classificationis, ut spero, ad lectos ægrorum sentient.

Cullen hanc classem *Nevroses* appellat; sed hoc sensu omnes corporis humani morbi Nevroses appellari possent. Morbos ab eo sub hac classe recensitos in quatuor Ordines 1. *Comata.* 2. *Adynamias.* 3. *Spasmos,* et 4. *Vesanias* dividit.

Sub comatibus nonnisi duo genera *Apoplexiam* et *Paralysin* admittit: Ad priorem refert *Cataphoram* et *Asphyxiæ* plures species, nec non *Catalepsin* et *Ecstasin;* sub paralysi *Tremorem* includit. — Ad Adynamias refert 1°. *Syncopem.* 2. *Dyspepsiam;* sub hac includit *Nauseam, Anorexiam, Cardialgiam, Fla-*

tulentiam et *Vomitum.* 3. *Hypochondriasin*, et 4. *Chlorosin.*

Sub ordine *Spasmorum* multos diversissimosque morbos in tribus sectionibus recenset. In prima occurrunt 1. Tetanus cum trismo. 2. Convulsio. 3. Chorea. 4. Raphania. 5. Epilepsia : In secunda. 6. Palpitatio. 7. Asthma. 8. Dyspnœa. 9. Pertussis. In tertia 10. Pyrosis. 11. Colica. 12. Cholera. 13. Diarrhœa. 14. Diabetes. 15. Hysteria. 16. Hydrophobia. De rectitudine et utilitate practica hujus classificationis alii judicent. Quid contra diversa nomina hic adoptata dicendum habeam, infra dicam.

In mea hujus Classis divisione Ordo I. Eclyses *s.* debilitates aut exsolutiones genera octo: 1. Anerethisiam. 2. Anæsthesiam. 3. Astheniam. 4. Cataphoram. 5. Apoplexiam. 6. Paralysin. 7. Syncopen, et 8. Apnœasphyxiam continet.

Ordo II. Spasmi, comprehendit genera decem : 1. Tetanum. 2. Crampum. 3. Convulsionem. 4. Eclampsiam. 5. Epilepsiam. 6. Ballismum. 7. Ptarmum. 8. Lygmum. 9. Hyperemesiam ; et 10. Myrmekiasin.

Quod ad priores spectat, genera : *Anerethisia*, *Anœsthesia*, et *Asthenia* ab aliis hactenus prætermissa, aut incomplete tractata fuerunt.

runt. *Anæsthesia* a Cullen aliisque cum Anhaphia male confunditur.

Sub *Asthenia* varios debilitatis gradus et species accuratius pro usu practico evolvere tentavi. Nomen *Apnœasphyxiæ*, defectum pulsus et respirationis indicans, ad denotandum statum mortis apparentis, rectius et exactius esse credidi, quam nomen Asphyxiæ.

Sub Spasmis tria nomina nova adoptavi, quorum rationem reddere convenit. *Ballismus* mea opinione probe exprimit morbum, a recentioribus inepte choream S[ti] Viti appellatum: Nomen scelotyrbe, a *Sauvages* adhibitum, minus exactum est, quia morbus sæpe potius superiores quam inferiores extremitates corporis male afficit. — *Hyperemesia* rectius morbum exprimit quam nomen latinum *Vomitus*; utpote qui etiam sine morbo in corpore adesse potest. Nomen *Myrmekiasis* pro designando morbo adoptavi, quem Germani a principali symptomate vulgo *Kriebelkrankheit*, seu morbum formicatorium nominant. Cullen aliique hunc morbum cum Linnaeo male *Raphaniam* appellant; nam falsum est, eum ab usu Rhaphani Rhaphanistri, ut Linnæus credidit, oriri.

Ordo III. *Algemata*, 26 genera comprehendit, et præter alia præcipue *Prosopalgiam*, *Kys-*

talgiam, *Osphyalgiam*, *Ischialgiam*, *Myodyniam*, *Arthrodyniam* et *Osteodyniam*. — *Colicæ* nomen vagum a PLINIO primo usitatum rejeci, eique nomen *Enteralgiæ* substitui. *Pyrosin* a CULLENO ad spasmos relatam, ut speciem gasteralgiæ considero. An *Dysphoriam*, *Alysmum* et *Cnesmum* recte hic adoptaverim, practici judicent.

ORDO IV. *Dyskinesiæ*, sistit 19 genera, inter quæ plura hactenus prætervisa, vel nominibus incongruis insignita fuerunt. Huc præcipue pertinent *Hypererethisia*, *Hyperæsthesia*, *Hyperkinesia*, *Rhembasmus*, *Cardiopalmus*, *Pnigalion*, *Pnigophobia*, *Dyscataposia*, et *Avante*. HIPP.

Hyperkinesiæ nomine designavi morbum a CULLEN aliisve *Hysteriam* appellatum, quod nomen a græco vocabulo *hystera*, quod latinis uterum significat, derivatum, omnino incongruum est; quod, ut CULLEN ipse docet, morbus hic *uterinus* dictus, sæpe etiam viros invadat; ex qua causa alii eundem tunc *hypochondriasin sine materia* appellarunt.

Sub *Rhembasmo* morbum intelligo, vulgo Somnambulismum dictum, quem CULLEN *Oneirodyniam activam* nominat, et ad vesanias refert. Nomen a me adoptatum melius, ut cre-

do, naturam et indolem morbi, de quo hic agitur, exprimit: præterea hic morbus non solum noctu, sed etiam sæpe de die hominem invadit, cujus exemplum memorabile infra p. 476 retuli. — *Pnigalion* cum THEMISONE morbum appello, quem græci hyperbolice Ephialtem; latini incubum aut succubum appellarunt. CULLEN eundem sub nomine *Oneirodyniæ passivæ* ad *Vesanias* refert.

Morbo a GUILL. HEBERDEN primo sub nomine *Anginæ pectoris* descripto, ab aliis postea modo *Asthma* seu *Dyspnœa*, modo *Syncopes anginosa* appellato, nomen *Pnigophobiæ* seu metus suffocationis extra somnum, indidi.

Nomen *Dyscataposiæ* rectius, ut puto, morbo convenit, ab aliis Dysphagia aut Dyscatabrosis nominato.

In ORD. V. *Dysorexias* separatim recensere placuit.

ORDO VI. *Paranoias* seu morbos mentis enumerat. Plura forsan hic genera assumpsi, quæ ab aliis potius ut species maniæ habentur: Puto *Paracopen*, *Hypomeriam*, *Chœraphrosynen*, *Athymiam*, *Apanthropiam*, *Agriothymiam*, et *Misopsychiam*, quæ ultima hic, quantum novi, primo ut morbus in systemate nosologico occurrit. De aliis si quis eas potius

ut species considerare velit, nihil habeo quod opponam; nisi quod morbos mentis, siquidem illis efficaciter mederi velimus, acutissime inter se distinguendos esse putem.

CULLEN sub classe sua *Vesaniarum* ponit 1°. Amentiam. 2. Melancholiam. 3. Maniam 4. Somnambulismum, quem *Oneirodyniam activam*, et 5. Ephialtem s. Incubum quem *Oneirodyniam passivam* appellat. Quo jure, posterior præcipue, huc referatur, ignoro.

VOLUMEN SECUNDUM reliquas duas, morborum classes complectitur.

CLASSIS QUARTA *Cachexias* et *Cacochymias*, et CLASSIS QUINTA *Morbos topicos* seu *locales* tradit.

In Observationibus generalibus, quas Cacochymiis et Cachexiis præfixi, omnia nova a chemicis inventa, quæ ad morbos hujus classis rectius et exactius intelligendos serviunt, recensui.

ORDINES ad hanc classem spectantes in duas sectiones divisi. Prima continet *Dyschymias* et *Dystonias*. Secunda 1. *Marasmos* seu Marcores. 2. *Intumescentias*. 3. *Cachexias decolores*. 4. *Ulcerosas*. 5. *Cutaneas*. 6. *Verminosas*. 7. *Calculosas*, et 8. *denique Cachexias osseas*.

In Ord. I. Dyschymiarum diu hæsitavi, an morbos huc pertinentes ad tria genera *Polychymiam*, *Oligochymiam* et *Dyscrasiam* reducerem? anne eos potius sub tribus sectionibus tractarem? In priori casu morbi humorum reliqui ut totidem species; in posteriori ut totidem genera allegandi erant. Hæc posterior opinio tandem mecum prævaluit, utpote clariori expositioni totius favens; præcipue quod omnia fere, quæ hic dicenda erant, nova sint, a nullo nosologo hactenus pertractata.

In Ord. II. *Dystoniarum* sub generibus *Hypertoniæ* et *Atoniæ* ea omnia retuli, quæ circa solidas corporis partes cognita habemus.

Ordo III. *Marasmos* seu *Marcores* continet. Cullen huc Tabem refert, quam ut genus a Phthisi distinctum considerat: Phthisin sub Hæmorrhagiis, ut Hæmoptyseos sequelam, recenset; sed Phthisis græcorum cum tabe latinorum unus, idemque morbus esse videtur, id est, emaciatio corporis febre hectica stipata. Si quis *Pædatrophiam* et *Melatrophiam* quas hic ut genera retuli, potius ut species atrophiæ considerare velit, nihil moror. *Syntexin protopathicam*, a Culleno omissam, ut genus admisi.

In Ord. IV. Nomen *Polypiotes* occurrit, pinguedinem corporis morbosam, ut credo, exactius exprimens, quam *Polysarcia* Auct. — Homo corpulentus certe ab homine pingui distinguendus est. — *Pneumatosin* s. flatulentiam in eodem sensu cum Hippocrate accipio. Cullen exemplo Sauvages inductus, hoc nomen pro emphysemate usurpat. Sed Emphysema græcorum, æque ac tympanites, morbi sunt, essentialiter a Pneumatosi distincti. —*Hydrops* mihi genus est, sub quo hydropes partium ut species posui. Cullen Hydropes, instar Hæmorrhagiarum, pro sede morbi diversa, in totidem genera dividit.

Genera nova, quæ sub hoc ordine introduxi, sunt :

Emphraxis, et *Elephantopus*. Priorem Sauvages juxta Cusson sub nomine Physconiæ in systemate suo assumpsit; in quo Cullen eos secutus est. Sed vocabulum *Physcon* græcis significat *Ventricosus* ex adipe in imo ventre accumulato ; taceo quod morbus, de quo hic agitur, in praxi frequenter sine ullo tumore ventris occurat; ideo nomini Physconiæ nomen Emphraxis substitui, utpote naturam morbi, ut numerosa cadaverum extispicia docent, exactius determinans. *Elephantopus*, qualem hic delineavi, hactenus plerumque cum Elephan-

tiasi, a qua essentialiter differt, confusus fuit; sed Arabes hos morbos, priorem sub nomine *Daül-Fil*, et posteriorem sub *Daül-Asad* aut etiam *Iusam*, semper acute distinxerunt, ut in textu notavi. Hic morbus a Nosologiæ scriptoribus hactenus prætervisus, certe in systemate Nosologico locum meretur.

Scrofulam, græcis sub nomine: *Choirades* notam, nonnisi unicam agnosco; etsi CULLEN cum SAUVAGES species plures, præcipue *vulgarem*, *fugacem*, *mesentericam*, et *americanam* admittat. CULLEN præterea Strumam recentiorum cum scrofula male confundit; nam Struma recentiorum morbus est a Struma CELSI essentialiter diversus: Prior ad locales pertinet (Vide *Thyroncus*); posterior scrofulam proprie denotat.

Ad ORD. V. *Cachexias decolores*, retuli: 1. *Leucophlegmatiam*. 2. *Cholorosin*, quam CULLEN ad Adynamias refert. 3. *Icterum*. 4. *Scorbutum*. 5. *Peliosin*, et 6. *Arteriochalasin*. Horum duo ultimi morbi hic prima vice in systemate nosologico occurunt. — Arteriochalasin huc retuli, quod eam semper colore cutis peculiari squallido junctam observavi; sed si quis eandem potius ad Intumescentias referendam esse credat, id facile dabo. Forsan

etiam nomen Arteriophthoria eidem melius conveniret.

Ad Ord. VI. *Cachexias Ulcerosas* refero : 1. Thymiosin, a Cullen aliisque, vulgo sub nomine barbaro *Frambœsiæ*, *Pian* s. *Epian*, aut *Yaws* descriptam. 2. Syphilitidem. 3. Carkinoma. 4. Elephantiasin seu Leontiasin. — Aphthæ, quam supra sub inflammationibus mucosis recensui, hic memini, quod in quibusdam cachexiis, ut morbus symptomaticus, non febrilis, occurat.

Ad Ord. VII. *Cachexias cutaneas* retuli, 1. Alphum. *s.* Vitiliginem Celsi. 2. Lepram. 3. Psoriasin. 4. Psoram, vulgo *Scabiem* recentiorum. 5. Herpetem. 6. Epinyctidem. 7. Phymatosin, a quibusdam sub nomine *Esseræ* descriptam ; ab aliis etiam Pemphigus chronicus, aut Erysipelas scorbuticum appellatam. 8. Pityriasin *s.* Porriginem Celsi. 9. Tineam. 10. Achorem ; et 11. denique Trichoma, vulgo Plicam Polonicam dictam. Plurimi horum morborum a Culleno omissi sunt. Herpetem ad morbos locales sub Ordine *Dialysium* recensuit.

Ordo VIII. *Cachexiæ Verminosæ*, tria genera continent : 1. *Entomiasin*. 2. *Scolekiasin*. 3. *Helminthiasin*. — Nomen *Entomiasis*,

ex defectu melioris, ad denotandos morbos ab insectis oriundos assumpsi. Ad hoc genus *Phthyriasis*, ut species, pertinet. Sub nomine *Scolekiasis* comprehendo morbos omnes a vermibus sub cute nidulantibus generatos. *Helminthiasis* denique designat morbos, seu symptomata morbosa a vermibus, in ventriculo et intestinis hominum hospitantibus producta. — De his Cachexiis Cullen non egit.

Ord. IX. *Lithiases*, seu *Cachexiæ calculosæ*. Huc primo Podagram, a Culleno sub Phlegmasiis recensitam, posui, eamque ab Arthritide podagrica, morbo acuto, cum Hippocrate probe distinguendum esse censeo. Reliqua Genera huc spectantia, et a Culleno omissa, sunt: *Urolithiasis*, *Cholelithiasis* etc. id est, morbi seu symptomata morbosa in corpore, ex præsentia calculorum variorum, nata.

Ord. X. *Cachexiæ osseæ*, continent Genera sequentia: 1. Osteomalakiam, *s.* mollitiem ossium, vulgo *Rhachitidem* dictam. 2. Osteopsathyrosin *s.* fragilitatem ossium morbosam. 3. Exostosin. 4. Osteosteatoma. 5. Osteophthoriam seu corruptionem substantiæ internæ ossium. 6. Teredon, *s.* Cariem, et 7. Osteonecrosin, seu Cariem ossium siccam.

Classis quinta denique, et ultima, quæ morbos locales comprehendit, in Ordines decem divisa est. In 1ª. Morbi sensuum externorum. 2. Morbi vocis et loquelæ. 3. Morbi partium genitalium utriusque sexus. 4. Evryangeiæ *s.* Dilatationes vasorum morbosæ. 5. Steneangeiæ *s.* angustationes vasorum vel canalium abnormes. 6. Tumores. 7. Ecphyses *s.* Excrescentiæ. 8. Ectopiæ. 9. Dialyses. 10 denique Deformitates *s.* Vitia corporis varia recensentur.

Haec Classis, quæ morbos potissimum externos, chirurgo præprimis scitu necessarios, continet, a Culleno aliisque scriptoribus nosologicis hactenus nonnisi obiter, et summe superficialiter pertractata fuit; unde fit, quod nullum adhuc, quantum novi completum systema nosologiæ chirurgicæ extet. Hunc laborem lubens suscepi; an opus cum successu perfecerim, viri in arte versati judicent.

Ord. I. Localium continet Morbos et vitia sensuum externorum.

Ord. II. Vitia vocis et loquelæ.

Ord. III. tractat de obscœnarum partium vitiis, sub duabus sectionibus in duodecim genera divisis. Ad morbos virorum pertinet: 1. Hyperorgosis, seu effrænatum in viris coïtus desiderium. 2. Priapismus. 3. Defectus

tentiginis, seu Impotentia virilis. 4. Dysspermasia; quæ jam in primo Volumine recensita fuit; sed quam hic denuo ulterius discutere sategi.

Ad Morbos fœminarum refero: 1. Machlosynen, id est, effrænum in fœminis coitus desiderium, vulgo et improprie *Furor uterinus* aut *Nymphomania* dicta; nam morbus de quo hic agitur, sedem suam nec in nymphis, nec in utero habet. 2. Dyssynusiam, seu difficultatem aut incapacitatem fœminæ coitum admittendi. 3. Sterilitatem. 4. Abortum. 5. Partum difficilem. 6. Graviditatem spuriam. 7. Conceptionem seu graviditatem extrauterinam. Morbos genitalium reliquos, jam alibi in hoc opere recensitos, ad finem hujus sectionis indicavi.

Ord. IV. Dilatationes vasorum aut viscerum abnormes. Huc spectant: 1. Anevrysma cordis. 2. Anevrysma aortæ. 3. Anevrysma aliarum arteriarum. 4. Varix. 5. Dilatatio morbosa vasorum lymphaticorum. 6. Dilatationes morbosæ viscerum variorum.

Ord. V. Angustiae vasorum aut canalium abnormes. Hic nonnisi duo genera admisi: *Stenosin*, seu coarctationem canalium variorum corporis morbosam; et *Anxim*, seu strangula-

tionem variarum corporis partium. Ad hoc genus præcipue pertinent : Hernia incarcerata, Volvulus, et Paraphimosis etc.

In Ord. VI. Tumorum classificationem magis rationalem et profundius elaboratam, quam quidem hucusque factum fuit, tradere tentavi. Tumores in octo sectiones divisi. 1ma Tumores inflammatorios; 2da Tumores qui sese ut sequelæ phlogosium manifestant; 3tia Tumores sanguineos; 4ta Aquosos; 5ta Aëreos; 6ta Glandulosos; 7ma Organicos, seu Tumores organorum quorumvis corporis, non glandulosorum; 8va denique Tumores kysticos, seu saccatos.

Sect. I. *Tumores Inflammatorii.* Hos ut in primo volumine Phlegmasias, distinxi : 1°. In *Phlogismata*, seu inflammationes membranæ cellularis vel glandularum. 2°. In *Epiphlogismata*, seu inflammationes membranæ mucosæ. 3°. In *Inophlogismata*, seu inflammationes membranæ fibrosæ.

Ad *Phlogismata* refero : 1. Phlegmonem. 2. Dothien *s.* furunculum. 3. Dactylitidem *s.* inflammationem phalangum digitorum. 4. Tumorem inflammatorium gingivarum. 5. Adenitidem *s.* inflammationem glandularum variarum corporis.

Ad *Epiphlogismata* pertinet: 1. Erythema. 2. Inflammatio ab ambustione *s.* igne. 3. Inflammatio a gelu aut frigore. 4. Inflammatio papillæ mammæ. 5. Inflammatio vaginæ uteri. 6. Inflammatio præputii. 7. Inflammatio glandis *s.* balani. 8. Inflammatio urethræ. 9. Inflammatio scroti; et 10. Inflammatio ani.

Ad *Inophlogismata* refero: 1°. Inflammationem ligamentorum, ac capsularum articularium; et 2°. Inflammationem periostei.

Sect. II. seu *Sequelæ Phlogosis;* huc pertinet: 1. Apostema *s.* abscessus. 2. Empyema. 3. Diadexis *s.* tumor a translatione aut migratione humoris alieni in partem sanam ortus. 4. Sclerosis *s.* induratio partium. 5. Gangræna seu mortificatio, aut sphakelus. 6. Anthrax *s.* carbunculus.

Sect. III. *Tumores sanguinei*: 1°. Anevrysma. 2. Varix. 3. Ecchymosis *s.* extravasatio sanguinis, seri, vel lymphæ.

Sect. IV. *Tumores Aquosi.* Cullen hydrocephalum, hydrometram, et hydrocelen, ut totidem genera distincta, ad cachexias refert. Hos morbos, ut species, ad hyderoncum potius referendos esse putavi.

Sect. V. *Tumores aërei*: Hæc æque at prior sectio nonnisi unicum genus continet. Nam

sedes morborum varia, ut supra dixi, nunquam genus, sed solum speciem morbi constituere potest.

Sect. VI. *Tumores glandulosi* comprehendunt : I°. *Tumores glandularum universales ;* huc proprie pertinent : 1. Adenitis. 2. Anthrax, jam supra sub phlogismatibus recensita. 3. Adenosclerosis *s.* induratio glandularum, non skirrhosa. 4. Skirrhus proprie sic dictus. 5. Tumor cancrosus *s.* carkinoma. 6. Tumor glandularum scrofulosus. Hi duo ultimi jam supra sub cachexiis recensiti fuerunt.

II. *Tumores glandularum particuliares ;* huc pertinent : 7. Phyma *s.* tumor glandularum sebacearum vel mucosarum. 8. Phygethlon *s.* tumor glandularum lymphaticarum. 9. Tumor glandularum sublingualium vel submaxillarium. 10. Tumor parotidum. 11. Tumor tonsillarum. 12. Tumor glandulæ thyroideæ. 13. Tumor glandularum mammæ. 14. Tumor glandularum subaxillarium. 15. Tumor glandulæ prostatæ.

Sect. VII. *Tumores organici.* Huc retuli : 1°. Tumorem oculi. 2. Palpebrarum. 3. Labiorum oris. 4. Gingivarum. 5. Linguæ. 6. Uvulæ. 7. Colli anterioris. 8. Hepatis. 9. Lienis. 10. Renum. 11. Vesicæ urinariæ. 12. Umbilici. 13. Ven-

tris *s.* abdominis. 14. Inguinum. 15. Testiculorum. 16. Scroti. 17. Colis *s.* membri virilis. 18. Præputii. 19. Ovariorum. 20. Uteri. 21. Labiorum vulvæ. 22. Extremitatum superiorum. 23. Extremitatum inferiorum. 24. Genu. 25. Articulorum variorum. 26. Ossium.

Sect. VIII. *Tumores Saccati* s. *Kystici* continent : 1°. Atheroma. 2. Lipoma. 3. Steatoma. 4. Spongosin. *s.* tumorem spongiosum. 5. Ganglion 6. Hydrokystidem *s.* hydropem saccatum. 7. Hydatidem.

Observationes generales, quas huic ordini præmisi, continent causas præcipuas, ac theoriam tumorum generalem, ab omni hypothesi immunem.

Ord. VII. Exhibet Excrescentias, in externa corporis superficie ortas : Ad excrescentias molles seu humidas pertinent : 1. Encanthis. 2. Epulis. 3. Hypersarcosis. 4. Sarcoma. 5. Mykosis *s.* fungositas. 6. Polypus. 7. Sycosis. — Ad excrescentias duras seu siccas : 8. Acrochordon *s.* Verruca. 9. Tylosis *s.* Clavus. 10. Porosis *s.* callositas. 11. Keratiasis *s.* Excrescentia cornea. 12. Pterygium.

Hypersarcosin ulcerum aut vulnerum a sarcomate distinxi. Sub nomine *Mykosis* novum genus a sarcomate et ab hypersarcosi

distinctum, adoptavi. Tumorem fungosum, ab auctoribus hactenus cum tumore spongioso confusum, sollicite in praxi distinguendum esse censeo.

Ord. VIII. *Ectopiæ;* huc pertinent: 1. Kele *s.* Hernia. 2. Proptosis *s.* Prolapsus. 3. Anastrophe *s.* Inversio viscerum. 4. Hysteroloxia *s.* Situs uteri obliquus. 5. Entropium. 6. Ectropium. 7. Streblosis *s.* Distorsio. 8. Parectasis *s.* Subluxatio. 9. Exarthrosis *s.* Luxatio. 10. Dysarthrosis *s.* Articulatio abnormis. 11. Diastasis *s.* Separatio ossium morbosa. — In speciebus horum generum enumerandis et definiendis tanto accuratius fui, quod Cullen nihil fere, nisi nomenclaturam quorundam horum morborum, dederit.

Ord. IX. *Dialyses;* huc pertinent: 1. Ecdarsis *s.* Excoriatio. 2. Rhagas *s.* Fissura. 3. Helcos *s.* Ulcus. 4. Syrinx *s.* Fistula. 5. Thlasma *s.* Contusio. 6. Rhexis *s.* Ruptura. 7. Trauma *s.* Vulnus. 8. Catagma *s.* Fractura. 9. Teredon *s.* Caries. 10. Osteophthoria. Hi duo ultimi morbi jam supra sub cachexiis osseis recensiti occurrunt.

Ordo X. *Amorphiæ* s. *Deformitates* in quatuor sectiones divisæ, comprehendunt:

Sect. I.

Sect. I. *Vitia organica*; huc pertinent:

1. Atresia s. Imperforatio. 2. Symphysis s. Concretio. 3. Diaschysis s. Separatio partium mollium abnormis. 4. Ectopisis s. Situs abnormis. 5. Chalasis s. Relaxatio. 6. Hyperepidosis s. Incrementum abnorme. 7. Meiosis s. Magnitudo diminuta. 8. Plethomeria s. Redundantia partium extremitatum. 9. Leipomeria s. defectus partium. 10. Hyboma s. Gibbositas. 11. Kyllosis s. Incurvatio artuum. 12. Cholosis s. Claudicatio. 13. Campsis s. Curvatura partium mobilium. 14. Acampsia s. Inflexibilitas articulationum.

Sect. II. *Vitia cutis*; huc pertinent:

1. Kelis s. Macula. 2. Spiloma s. Nævus. 3. Phlyctæna s. Pustula. 4. Papula. 5. Ionthos s. Bacchia. 6. Phlyzakion s. Vesicula.

Sect. III. *Vitia pilorum et capillorum*, huc spectant:

1. Madesis s. Defluvium capillorum. 2. Phalacrosis s. Calvities. 3. Poliosis. 4. Dasytes s. Hirsuties. 5. Pogoniasis. 6. Chaitosis. 7. Leptotrichia s. Tenuitas capillorum. 8. Schizotrichia s. Capillorum bifurtatio. 9. Trichoma s. Plica Polonica. 10. Trichiasis s. Ciliorum inversio.

Sect. IV. *Vitia unguium*; huc pertinent:

1. Onychogryposis *s.* Incurvatio unguium. 2. Onychoptosis *s.* Lapsus unguium. 3. Onychophthoria *s.* Corruptio unguium.

Ad finem operis præter tabulam systematicam, adjeci indicem generalem generum et specierum morborum, ac synonymorum præcipuorum ab auctoribus usitatorum, aliorumque terminorum in textu passim occurrentium.

An Scopum quem mihi in elaborando hoc systemate proposui, attigerim, Medicis Philosophis dijudicandum relinquo. Horum animadversaria grato animo accipiam; judicia aliorum, præcipue theorias vagas medicinæ sectantium, parum curo.

Dabam Parisiis Calendis Martii ær. chr. 1812.

INTRODUCTIO.

Nosologia (a gr. Νόσος morbus et Λόγος doctrina) vel etiam Pathologia (a gr. Πάθος Passio, affectus) est doctrina de morbis aut passionibus corporis humani. Hæc duo vocabula plerumque confunduntur et vulgo unum idemque significant, etsi reipsa inter se differentem significationem habeant. Sic oculus continet potentiam seu facultatem videndi; visus ipse actio est: si potentia læsa est, læditur actio per illam conditionem abnormem; hinc læsa videndi facultas seu potentia proprie Morbus est; actio vero læsa seu visus abolitio Passio est. Quum ergo morbus non consistit in ipsa functione læsa, sed in statu corporis interno abnormi, per quem actio normalis partis turbatur, patet Asthma, Asphyxiam, apnœam, vomitum, diarrhœam etc. proprie non esse morbos, sed effectus morborum; at usus obti-

nuit, etiam has functiones læsas morbos appellandi.

Sanitas est conditio corporis animalis vivi, actiones seu functiones sibi proprias rite, id est, cum facilitate, oblectamento et quadam constantia exercendi.

Ægritudo seu Morbus est status sanitati oppositus; seu status solidorum aut fluidorum vel vis vitæ activæ abnormis, functiones lædens.

Effectus hujus status abnormis in corpore apparentes Symptomata appellamus; quæ itaque sunt phænomena seu qualitates sensibiles corporis animalis a sanitate recedentes, a medico aut ab adstantibus, vel ab ægro perceptæ. Omne phænomenon a sanitate recedens *abnorme*; et oppositum ejus *normale* dicimus.

Symptomata cum statu corporis morboso, ut effectus cum causa cohærent. Quædam sunt effectus morbi ipsius; alia sunt effectus causarum morborum, et alia denique effectus symptomatum morbi. Symptomata in morbis obser-

vata, a viribus vitæ activis et reagentibus orta, vulgo etiam *Conamina* naturæ appellantur. Hæc variant pro gradu stimuli applicati, vel pro gradu irritabilitatis et sensibilitatis totius corporis vel partis peculiaris affectæ.

Causa Morbi vocatur, quæ morbum præsentem facit, i. e. quæ statum in solidis vel fluidis, aut in vi vitæ activa abnormem producit, ex quo exercitium functionum in corpore læditur.

Causae morborum sunt Internae fluidis aut solidis, vel vi vitæ activæ, aut organisationi inhærentes; vel Externae corpori applicatæ. Priores cum græcis *Proëgumenas* (Προηγουμένας) seu *Prædisponentes*; posteriores *Procatarcticas* (προκαταρκτικάς) seu *Occasionales* aut *Excitantes* appellamus. Ad has posteriores præcipue pertinent : 1°. Aër; Cibus; Potus; Medicamentum; Venenum, quæ cuti, naribus, ori, pulmonibus, ventriculo, intestinis, ano, aut pudendis utriusque sexus immediate applicata illas partes lædunt; vel quæ per vasa absorbentia horum organorum

absorpta, varias partes corporis, sæpe longe dissitas, male afficiunt. 2. Quies, et motus seu exercitium corporis; hinc etiam somnus et vigilia. 3. Animi pathemata. 4. consuetudo. 5. Retenta et excreta, sive salubria sive noxia. 6. Applicata externa: Huc Aër atmosphæricus; gaza varia; aqua; vestimenta; medicamenta; venena; aut corpora vi chemica vel mechanica in corpus agentia.

Concursus harum causarum, procatarcticarum cum proëgumenis, quæ nomine communi etiam vulgo *causæ remotæ* dicuntur, plerumque requiritur ad morbum quemcunque producendum; id est, causa excitans *s.* procatarctica, causæ prædisponenti *s.* proëgumenæ accedens, plerumque vel morbum ipsum, vel causam proximam morbi constituit. Cæterum causa externa exigua sæpe sufficit, si prœdispositio interna ad morbum magna est; sed causæ externæ procatarcticæ etiam per se sæpe adeo fortes sunt, ut nulli temperamento etsi robustissimo, nec sexui, nec ætati ulli parcant, et applicatæ sine ulla prædispositione particulari

corporis morbum producant, uti præcipue in quibusdam epidemiis observamus. Quandoque, postquam causa externa semel morbum excitavit, hic ad sui finem usque pergit, etsi causa ejus procatarctica ablata fuerit; quod maxime in febribus quibusdam videmus, ubi reactio generalis systematis fibrarum motricium et nervorum abnormis continuat, etsi causa externa, quæ febrem excitavit, non amplius agat; sed frequenter etiam, si hæc causa externa subsistit, et medicus eam non aufert, morbus curari nequit. Exemplum dant dialeipyræ ab effluviis paludosis ortæ, apnœasphyxia ex gaze nocivo, athymia ex mœrore producta etc. etc. In utroque casu sæpe summa Medici perspicacitas requiritur ad dignoscendum, quænam harum causarum præponderet, ut morbum debellare queat.

Cum causa proxima morbi plerumque ex concursu causarum remotarum oritur, morbus sæpe tollitur, si causæ ejus auferantur; sed cum causa proxima sæpe lateat, utpote a statu corporis interno dependens, indicatio-

nes curandi a causis remotis desumendæ sunt, quæ semper plus minusve sensibus nostris percipiuntur.

Ad morbum distinguendum causæ evidentes, non imaginariæ, sed observationibus probe stabilitæ, atque symptomata morbi sollicite indaganda sunt, utpote quæ sola sub sensus cadunt. Quandoque etiam consideratio status sani ad cognitionem status morbosi confert; inde utilitas Anatomiæ et Physiologiæ.

Systema Nosologicum itaque non solum Morbos et Passiones corporis humani, seu vitia actionis vel affectus ex vitiis natos, omnes et singulos, hucusque a Medicis in diversis terræ regionibus et climatibus observatos, universales et particulares, internos et externos enumerare; sed etiam symptomata et signa, quibus inter se dignosci possint, ac causas eorum fideliter et complete, quantum quidem bene cognitæ sunt, recensere debet.

Inde utilitas Nosologiæ methodicæ elucet, utpote quæ non solum numerum morborum docet, sed medico practico filum præbet, mor-

borum indolem, differentias et causas facilius et exactius cognoscendi; quidquid contra a quibusdam empiricis aut Pseudomedicis blateratum fuerit. Nomen enim Medici certe non meretur ille, qui causarum, symptomatum et differentiarum morborum ignarus aut incurius, praxin medicam ut opificium potius, quam ut artem aut scientiam, exercet; quis enim non risu et contemptu exciperet hominem, qui artem *Gemmariam* exercens nec lapides pretiosos a se invicem distinguere, nec adamantum varias species ad amussim cognoscere valeret? idem omnino et pejus adhuc foret de medico, qui diversa morborum genera et species inter se confundens in praxi unum pro altero sumeret, iisque medicamenta, nulla habita morborum differentia, modo tumultuario applicaret.

De hisce practicis jam suo tempore GALENUS egregie monuit « Quod accidere solet » Athletarum plerisque, qui cupiunt quidem » in Olympiis victores evadere, cæterum ut » id assequantur, nihil exercent curantve,

» tale quippiam compluribus medicis usu
» venit. Nam laudant quidem Hippocratem,
» ac medicis omnibus anteponunt; ut autem
» similes illi evadant, quidvis studio habent
» potius quam hoc, quippe qui ne legunt qui-
» dem illius scripta, nec si id faciunt, intel-
» ligunt quæ dicuntur : aut si quis id quoque
» consequatur, non perducit speculativam
» artis rationem ad experientiam, ut con-
» firmet quod didicit. Quorum si desit alter-
» utrum, necessum est sui universi studii at-
» que instituti fine frustretur ».

His similes etiam sunt medici ita dicti, qui omnem aleam artis in quibusdam formulis, aut in præscriptione venæsectionum, clysmatum, fonticulorum, aut decoctorum plantarum, sæpe inanium, ponunt. Quid jam mirum est, quod homines tales ipsi artem, quam malo titulo exercent, despiciant, sibi et aliis persuadentes, quod omnia calleant, quæ in Medicina inventa aut cognita sunt, ac quod ipsi non sciunt, ab aliis omnibus nesciatur; dum revera omnia, Medicum *verum*, proprie sic

dictum, constituentia, funditus ignorant. Quid mirum demum, si viri in aliis scientiis artibusque ingenuis versati practicos tales, pomposo titulo Doctoris medicinæ ornatos, non solum contemptui habeant, sed male de arte medica ipsa judicent, eamque adeo inanem, ut cerebrum horum doctorum, esse credant.

Cæterum facile convenio, quod viri superioris ingenii in Medicina, ut in Mathesi, Physica, Chemia, aliisve scientiis utilibus rari sint; sed hoc non obstante firmo animo assevero, artem medicam a quinquaginta et ultra abhinc annis immensos versus exactiorem naturæ morborum cognitionem, æque ac curationem eorum progressus fecisse, quæ sane omnia a Plebe medicorum penitus ignorantur.

Jam paucis ea perstringenda sunt, quæ ad divisionem morborum proprie spectant.

In natura nonnisi casus morborum individui occurunt. Ex observatione horum Species, et ex speciebus pluribus, bene et frequenter observatis, Genera morborum eruimus.

Similitudo itaque specierum ex principiis evidentibus et certis, ac ex observationibus accuratis, et summa cautella repetitis deducta Genus constituit. Ex similitudine generum Ordines; et ex similitudine ordinum Classes morborum exsurgunt.

In condendis generibus morborum methodus symptomatica, seu a phænomenis evidentibus, in diversis speciebus constanter observatis, desumpta optima mihi esse videtur, quamdiu causæ internæ et principia morborum non distincte cognita sunt. Interim tamen ad Nosologiam rationalem condendam, quam hic ante oculos habui, ubique sub generibus et indolis et causarum primarum morborum inquisitionem cum Cl. A. Thaer (*) utilissimam et necessariam esse judico, cum alias systemata artificialia, non naturalia, exstruantur.

In condendis vero speciebus cum doc-

(*) A. Thaer, Dissert. de actione Systematis nervosi in febribus.

tissimo PLOUCQUET (**) ad symptomata, etsi diversissima, nullo modo respiciendum esse credo, quia hæc nonnisi accidentalia sunt. SAUVAGES et CULLEN hic maxime peccarunt, species diversas pro diversitate sola symptomatum constituentes, non solum in praxi inutiles, sed sæpe etiam ad erroneam methodum medendi ducentes.

Species autem inter se differentiis essentialibus differre debent, etsi quoad formam externam et symptomata magnam similitudinem præseferant. Cum similitudo symptomatum in morbis natura omnino diversis sæpe locum habeat, morbi symptomatibus perfecte similes, ex causa longe diversa emanantes, male conjunguntur; dum morbi natura congeneres, ab una eademque causa materiali pendentes, ob diversitatem symptomatum æque male disjunguntur, sicque methodus artificialis creatur, methodo naturali prorsus opposita.

(**) G. G. PLOUCQUET, Delineatio Systematis Nosologici naturæ accommoditi, 4 vol. in-8°, Tubingæ 1791.

Differentiæ autem *essentiales* eæ solum sunt, quæ essentiam seu indolem et naturam morbi mutant, etsi magis minusve momentaneæ sint.

Morbi autem indolem efficiunt:

1°. *Sedes* seu *pars affecta*, quatenus structura organica, mixtione chemica, aut functione a se differt. Sedes morbi vero in rene, aure, vel oculo dextro aut sinistro ne quidem varietatem constituere potest.

2°. *Potentia nocens* in sedem agens; sive ea consistat in materia aliqua, per vires chemicas, physicas aut mechanicas agente, sive in meris motibus aut alterationibus in organis et viribus vivis moventibus et sentientibus, per vires Physicas aliasve excitatis. In designandis morborum speciebus ergo sufficit, ut ubique *Sedem affectam* et *Potentiam nocentem*, aut statum virium vivarum corporis, evidentibus notis in sensus incurrentem, cum aliqua certitudine determinare possimus; etsi modum affectionis, intimamque ejus naturam non semper exacte noscamus. Ita vero variante

quoque theoria, ut recte observat PLOUCQUETUS, ipsarum specierum fundamentum nondum corruet.

Veritas specierum, ad has leges constitutarum, innititur quoque cadaverum inspectioni, ex qua quandoque causæ morborum, ut status normalis ipse, cognosci possunt; sed longe abest, quin hæc inspectio nos semper aut plerumque de causis morborum recte instruat, ut vulgo non raro asseritur; nam quæ extispicia cadaverum monstrant, sæpe sunt potius effectus morbi prægressi, aut status morbosi longe antea præsentes, nihilque cum morbo ultimo commune habentes; ut sic revera sæpe parum vel nihil lucis ad causas morborum determinandas affundant.

Accidentales e contrario differentiæ, per conditiones extraneas allatæ, quæ quidem symptomata morbi et periculum mutant, ideoque methodum medendi aliam exposcunt, tamen indolem morbi non alterant.

Extraneæ istæ conditiones sunt:

1°. *Origo, modus acquirendi, varietas cau-*

sarum remotarum, quæ Nosologos hucusque toties induxit, ut varias species conderent; immemores sane, ex diversis causis remotioribus eundem in corpore effectum resultare posse: Sic Pneumonitis, vini excessu acquisita, specie non differt ab ea, quæ per saltationem exoritur. — Ubicunque ergo in morbo aliquo unum idemque resultans, cujuscunque causæ effectus sit, observatur, ibi ab ulteriorum specierum multiplicatione vel subdivisione abstinendum est, ne in errorem SAUVAGES incidamus, qui tot species condidit, quot causas remotas repererat.

Verum tamen *Species alias atque alias*, aut *Subspecies*, agnoscere possumus, ubicunque principia, etsi remotiora, in ipsam genesin morbi influxum et effectum *singularem* habere poterant, adeoque ad melius intelligendam morbi naturam facere queant: eo magis iis insistendum, si forte remotiora ista principia in morbum præsentem adhuc agere possunt; quandoquidem indicationes Therapeuticæ iis innituntur. Accedit adhuc quod occa-

sionum

sionum cognitio, per ipsum systema, prophylacticorum præceptorum mater sit.

2°. *Diversitas subjectorum*, secundum ætatem, sexum, temperamentum, corporis habitum, vitæ genus, consuetudinem.

3°. *Magnitudo morbi*, seu gradus vehementiæ.

4°. *Decursus et eventus.*

5°. *Ratio diœtœ* et *medicationis* phœnomena morborum, ac decursum et eventum eorum sæpe mire mutat.

Hæc omnia efficiunt *Varietates* morborum seu modificationes specierum, quæ cum differentiis earum specificis, quippe quæ essentiam rei tangunt, minime confundenda sunt.

Huc præcipue pertinent:

Facies diversœ, unum vel plura symptomata morbi, præsertim ex genio epidemico mutantes. Quodsi hæ facies ita comparatæ sunt, ut symptomata *alius* morbi constituant, *Larvœ* sunt; indeque jure *Morbi larvati* vocantur.

Ad varietates autem non pertinent *Stadia*,

quæ in determinato cursu morbi alicujus obtinent, et pro diversis ejus temporibus, determinata phœnomena et mutationes sistunt.

A varietatibus alienæ quoque sunt Morborum *Mixtiones, Compositiones, Complicationes*, quæ si constantes sunt et evidentes, indolem morbi adeo mutant, ut nova species inde emergat. Eas vero omnes et singulas exhaurire vix possibile est (*).

Quoties magnus est subjectorum numerus, toties ad intelligentiam et memoriam juvandam ordo necessarius est, et ordo in tradendis scientiæ dogmatibus vocatur *Methodus*; cum itaque magnus est morborum numerus, in illorum historia tradenda et cognitione juvanda, methodus est necessaria.

Vocabula sunt idearum nostrarum signa; si ergo ab aliis intelligi volumus, valor vocabulorum, quibus utimur, sit fixus et constans.

(*) Vide de his aliisque pluribus, ad hanc rem spectantibus, egregia notata apud clarissimum PLOUCQUET loc. cit.

Vocabulorum et terminorum artis definitio vocatur *Nomenclatura ;* ea ergo si sit inconstans et vaga aut æquivoca, mala erit. Hoc vitatur, dum cuique rei diversæ nomen proprium diversum datur; nec eodem nomine diversæ, nec diverso nomine res eædem exprimendæ.

Methodus et *Nomenclatura* itaque sunt fundamenta bonæ Nosologiæ historicæ.

Notæ sunt rebus intrinseca, unde agnoscuntur, et a se invicem discernuntur.

Notæ a Botanicis et Nosologiæ scriptoribus *Characteres* vocantur.

Definitio est enumeratio notarum nec plurium, nec pauciorum quam quæ ad rem definitam agnoscendam et ab aliis distinguendam sufficiunt. Definitio morbi itaque est enumeratio symptomatum, quæ ad illius genus vel speciem cognoscendam, et ab aliis distinguendam serviunt. Sed hic sæpe summe difficile est medium tenere; in hoc casu itaque semper melius erit, numero notarum majore quam pauciore peccare. Regula generalis bonæ defini-

tionis est, ut notis certis et constantibus innitatur.

Notas ad definitum agnoscendum et ab aliis distinguendum præbent *Genus* et *differentia specifica*. Hæc duo ergo definitionem conficiunt.

Genus itaque morbi est ejus definitio, seu enumeratio characterum, quibus cum omnibus morbis ejusdem classis et ordinis convenit, ac eorum, quibus ab illis discrepat.

Ad genera morborum definienda optima est, ut supra dixi, *Methodus symptomatica*, quæ a phænomenis morborum constantibus et symptomatibus evidentibus eorum characteres repetit. Symptomata morborum sunt mutationes evidentes et sensibus obviæ, ex causis morborum productæ, ideoque ex iis ad causarum et sedis morborum cognitionem procedendum est, non vero ex causis et sede ad eorum symptomata. Quoniam genus est similitudo specierum, quidquid dictum est de genere, convenit speciei cuique hujus generis, adeoque quod semel dictum est de genere suo

loco, frustra repeteretur in specie; paucis casibus forsan exceptis.

Species ejusdem generis tot debent enumerari, quot sunt observatæ similitudines inter individuos morbos ejusdem generis, quæ cum symptomatibus genericis symptomata constanter propria ab illis diversa secum ferunt. Licet enim illæ species a sede, aut causis denominentur, ex hoc nomine nequaquam determinatur sedes causæ morbi, sed tantum sedes ad quam referuntur præcipua symptomata juxta sensum ægri; nec causa morbi sed tantum symptomata præcipua ex hac causa orta, in sensus medici incurrentia.

Differentiæ specierum sunt simplices illæ relationes, per quas aliæ species ab aliis distinguuntur.

Varietates specierum recte desumuntur a causis remotis internis vel externis in corpus agentibus.

Ex eo quod medicus hanc vel illam morbi speciem ignorat, multi in praxi damna et mortes ægrorum. Quot miseri medicamentis

omnimodis plectuntur ab officiosis medicorum imitatoribus ob ignoratam morbi speciem! Kephalalgiam *syphiliticam* qui non novit, eam infausto omine per phlebotomias, emetica, cathartica, ferrata, aliave hujus generis remedia frusta debellare conabitur. *Dyspnœam* a suppressa scabie, aut a podagra aberrante, vel ab aqua in thorace accumulata ortam venæsectionibus, catharticis, expectorantibus aggreditur ignarus, et ægrum in ultimum periculum conjiciet. *Ulcera* in faucibus ab usu hydrargyri producta, medicaster pro syphiliticis habens usu hydrargyri gangrænosa reddet. *Anorexiam* a polycholia vel a mœrore ortam, incassum per amara aut stomachica tentabit, qui has ab aliis hujus generis speciebus non distinxerit.

Morbi a diversis causis originem suam ducentes, ut jam supra notavi, ita diversis symptomatibus stipati, æque diversas indicationes subministrant, methodumque curandi æque differentem requirunt. Et ex hoc fonte fit, ut jam recte monuit Morton, quod nemo quantumvis generali medicinæ scientia instructus

atque versatus, cum successu felici artem suam exercere possit, donec vel ingenii sui acumine singulari fretus, vel multo etiam usu instructus, pro diversitate causarum et symptomatum distinctiorem morborum ideam sibi ipse formaverit, et perspectam habuerit.

Ex hactenus dictis patet, quam magni momenti in Medicina sint observationes exactæ et fideles casuum individuorum; nam hæ solæ ad construendum bonum systema Nosologicum et Therapeuticum inservire possunt. Ad observationes autem exactas faciendas requiritur, ut medicus non solum ingenio et cognitione polleat, sed et probitate emineat; ut nihil dicat, quod non vidit; ut omnia phænomena in morbo dato occurrentia scrupulose ipse ad lectum ægri quotidie notet, nullique narrationi aliorum confidat, nec imaginationi propriæ aut vanitati ullo modo indulgeat. Nihil sane nostris temporibus progressum artis magis retardavit, quam observationes male digestæ, aut fallaces ex memoria post plures dies, menses, aut etiam annos leviter conscriptæ; maxime vero observa-

tiones illæ mendaces, à medicis ignaris, aut lucro soli intentis conscriptæ, vel solo fine famam publicam captandi compilatæ; quæ præterea adhuc id mali afferunt, quod Medicum juniorem in errores graves circa naturam, causas, et curationem morborum inducant, aversionem a studio creent, et contemptum artis propagent.

Hæc sunt præcipua, quæ systemati Nosologico præmittenda esse judicavi; hisce adjungo pauca de divisione morborum generali notatu necessaria.

Morbi in genere differunt.

I. Ratione originis :

1°. *Hæreditarii,* dum parentes eodem morbo laboraverunt; ac subjectum præsente morbo vel a nativitate jam conspicuo, vel tardius apparente laborat. Huc præcipue pertinent: Scrofula, syphilis, osteomalakia, mania, epilepsia, apoplexia, paralysis, hyperkinesia, urolithiasis, podagra, phthisis pulmonalis etc, etc.

2°. *Congeniti*, dum morbus infanti in utero adnascitur, vel infans proclivitatem ad morbum acquirit.

3°. *Acquisiti* s. *Adventitii*, qui ex causis, in hominem natum agentibus, oriuntur. Hi denuo differunt:

Ratione ætatis; unde morbi *recens natorum*, *infantum*, *juvenum*, *adultorum*, *senum*.

Ratione sexus; unde morbi *virorum*, et *fœminarum*. Hi posteriores denuo morbos *virginum*, *gravidarum*, *parturientium*, *puerperarum*, *lactantium*, et *vetularum* comprehendunt.

Ratione anni temporis præsentis aut prægressi; unde morbi *vernales*, *autumnales*, *æstivi*, et *hyemales*.

Ratione vitæ generis; unde morbi *opificum*, *artificum*, *literatorum* etc.

Ratione climatis; unde morbi regionum calidarum vel frigidarum, siccarum vel humidarum; paludum, alpium, locorum humilium.

Ratione effluviorum ex terra, mari, fluviis, paludibus.

Ratione ventorum.

Ratione epidemiœ regnantis.

Ratione habitus vivendi, seu consuetudinis.

Ratione temperamenti, aut *Idiosyncrasiœ.*

Ratione morborum prægressorum.

Ratione causœ proëgumenæ vel procatarcticæ, in corpus vel mentem agentis.

4°. *Primarii* s. *primogenii*, aut *Protopathici*, a peculiari sua causa enati; et *secundarii* s. *symptomatici*, aut *Deuteropathici*, ab alia ægritudine præsente aut prægressa orti.

5°. *Contagiosi*, qui sese in sanos propagant per contagium vel miasma morbificum, idque per aërem ad certam distantiam, unde morbi *contagiosi in distans;* vel solum contactu ægroti immediato in sanum transeuntes, qui ideo *contagiosi per contactum* vocantur. Alii vero *contagii expertes*, seu *non-contagiosi.*

6°. *Sporadici* s. *sparsim* contingentes, qui

paucos homines invadunt; et *Pandemicos* s. *Pandemios*, *grassantes*, qui multos eodem tempore affligunt.

Hi posteriores denuo sunt, vel *Endemii* s. *Endemici*, peculiari regioni addicti; vel *Epidemici*, *populares*, ad tempus multos sine discrimine regionis afficientes. — *Constitutio Epidemica* dicta indicat indolem epidemiæ vel etiam causarum ejusdem.

7°. *Stationarii* Sydenhami, qui sub certa annorum constitutione comparent; vel *Intercurrentes*, qui omnibus annis citra differentiam eveniunt.

II. Ratione sedis:

8°. Morbi *Universales*, qui universum corpus affligunt; vel *Particulares* s. *Locales*, aut *Topici*, qui partem tantum afficiunt.

9°. *Idiopathici*, qui communem cum causa sua sedem habent; *Sympathici* vero, qui diversam.

10°. *Fixi*, qui in una eademque corporis parte manent; *Vagi* qui in aliam migrant; et

Retrogradi, qui, parte externa relicta interiora petunt; vel vice versa.

11°. *Externi*, visu tactuve perceptibiles; vel *Interni*, nonnisi symptomatibus externis, aut ex sensatione et explicatione ægri dignoscendi.

III. Ratione Indolis:

12°. *Leves* s. *mites*, aut *parvi*, qui ægrotum leviter afficiunt, et paucis symptomaticis stipantur; *Graves* vel *magni* autem, qui vehementer affligunt, et symptomatibus multis gravioribusque stipantur.

13°. *Regulares*, quorum phœnomena charactere morbi cognito respondent; *Irregulares*, qui symptomatibus extraordinariis stipantur.

14°. *Benigni*, qui leves, parvi et regulares; *Maligni* s. *perniciosi*, qui graves, magni, a consueta forma recedunt, symptomatibus anomalis stipantur; tuncque sæpe remediis efficacibus cognitis non cedentes *Refractorii* s. *pertinaces*; et *corrupti*, qui vel ob neglectum,

vel ob medelam erroneam aut perversam, alienam naturam assumpserunt.

15°. *Larvati*, qui sub facie alius morbi ludunt.

16°. *Abstrusi*, quorum causa latet: In his maxime inquirendum: 1. Circa vermes. 2. Herniam incarceratam. 3. Syphilitidem. 4. Animi pathemata; huc præcipue ambitio, amor, zelotypia, timor, mœror, curæ domesticæ, secreta vel celata. 5. Podagra. 6. Emphraxis viscerum abdominalium. 7. Urolithiasis; Cholelithiasis. 8. Ebrietas (Οἰνοφλυγία) patens vel celata. 9. Graviditas secreto habita. 10. Morbi parentum aut consanguineorum.

IV. Ratione eventus.

17°. *Periculosi*, qui vitæ periculum afferunt; vel periculo carentes *non periculosi.*

18°. *Insidiosi*, qui securitatem mentientes periculosi sunt.

19°. *Pravi, detrimentosi,* vim vitæ minitantes; vel *Salutares*, plus utilitatis quam noxæ afferentes.

20°. *Sanabiles* s. *medicabiles*, qui remediis cognitis cedunt; vel *Insanabiles* s. *immedicabiles* aut *incurabiles*, qui medelam, hactenus cognitam, non admittunt. *Lethales* qui mortem inferunt.

V. Ratione formae et constitutionis:

21°. *Simplices*, *Compositi*, *Complicati*.

22°. *Acuti* s. *breves*, cito intra 14 aut 20 dies finientes; *acutissimi*, qui intra quadriduum, et *peracuti*, qui intra septem dies solvuntur.

23°. *Chronici*, qui per plures menses vel annos durant.

24°. *Continui* s. *remittentes*, *intermittentes*; unde: *Exacerbatio* s. augmentum. *Remissio* s. decrementum. *Paroxysmus* s. invasio, accessio, insultus, seu initium et augmentum.

25°. *Periodici*, periodis fixis redeuntes.

26°. *Recidivi*, qui postquam per aliquot tempus evanuerunt, denuo redeunt.

CLASSIS I.

CLASSIS I. PYREXIÆ.

ΠΥΡΕΚΤΙΚΟΙ Galeni.

Character. Dysphoria generalis cum pulsu et calore corporis aucto.

Synonyma. Morbi febriles *auctorum*.

ORDINES ad hanc classem spectantes sunt:

ORDO I. FEBRES.
II. PHLEGMASIAE.
III. EXANTHEMATA.

CL. I. ORDO I. FEBRES.

Graecis. ΠΥΡΕΤΟΙ a πῦρ, ignis, calor intensus.

Character. Praegressa plerumque sensatione insolita et ingrata in ventriculo, horripilatione, languore, sensu lassitudinis aut conquassationis (*detolationis*) membrorum, inquies mentis et corporis; lingua sordida; calor auctus; dolor capitis; pyrexia cum pulsu frequente, forti vel debili, sine morbo locali primario.

Syn. Febres, proprie sic dictæ. *Auctorum.*
Morbi febrilis critici. *Linn.*

Anglis. Fevers.
Gallis. Fièvres.
Germanis. Fieber.

A Febres Protopathicae s. Primariae.

SECT. I. FEBRES DIARIÆ.

Genus I. EPHEMEROPYRA.

SECT. II. FEBRES CONTINUÆ.

G. II. STHENOPYRA.
III. ASTHENOPYRA.
IV. *PHLEGMAPYRA.*
V. SEPTORRHEPYRA.
VI. LOIMOPYRA.
VII. OCHROPYRA.

SECT. III. FEBRES REMITTENTES.

G. VIII. HELOPYRA.
IX. CHOLEPYRA.
X. *RHEUMATOPYRA.*

SECT. IV. FEBRES INTERMITTENTES.

G. XI. DIALEIPYRA.

B. Febres Deuteropathicae *s.* Symptomaticae.

G. XII. SYNTECOPYRA.
XIII. MARASMOPYRA (HECTICOPYRA).
XIV. NEVROPYRA.
XV. GALACTOPYRA.
XVI. HELMINTHOPYRA.

OBSERVATIONES CIRCA FEBRES GENERALES.

Praeter symptomata generalia in definitione febrium supra notata, in omni febre plerumque alia simul apparent, quæ hic recensere, et cum prioribus exactius discutere juvabit.

1. *Gradus frigoris et caloris* triplici modo in febribus determinatur: ex sensatione ægri, ex sensatione medici palpantis, et ex hydrargyri in tubo vitreo inclusi expansione majore vel minore, quam Thermometrum, per aliquot minuta sub lingua aut sub axillis applicatum, indicat. Priores duæ sæpe fallunt, tertia methodus nos exactius instruit. Æger quandoque de frigore partis queritur, dum adstantes manu applicata eandem calidam sentiunt, et vice versa. Calor corporis humani in statu sano in genere est inter 97 $\frac{1}{2}$ et 100 gradum scalæ thermometri *Fahrenheitiani*, quod æquivalet 29 ad 30 gradibus therm. *Reaumuriani*. Omnes gradus infra hunc terminum frigus, ut illi supra eundem, calorem corporis abnormem indicant. Calor in febribus vix unquam gradum 105^{tum} therm. Fahrenh. excedit.

2. *Pulsus*, seu contractio et relaxatio arteriæ cujusvis in corpore vivente numerum contractionum ventriculi cordis sinistri indicat. Hic numerus pulsationum in adulto homine fere semper et uniformiter est 73 intra minutum. In statu sano adultorum pulsationes raro infra 70 aut supra 75 in minuto observantur. In infantibus frequentiores sunt et facilius turbantur. In senibus autem sæpe pauciores et minus regulares. Pulsationes 80, 90, etc. intra minutum, adesse possunt sine febre, et sæpe adsunt in affectionibus spasmodicis, vel ab exercitio, gaudio aut viso objecto amato: Sed hæc pulsuum frequentia, cum sensatione dysphoriæ juncta, in genere febris præsentiam arguit. In quibusdam febribus pulsus frequentia a 100 ad 120, 130 pulsationes et ultra in minuto ascendit.

Præcipuæ pulsuum differentiæ, in febribus notandæ, sunt:

Frequens	—	Tardus.
Magnus	—	Parvus.
Fortis	—	Debilis.
Durus	—	Mollis.
Liber	—	Suppressus (obstructus).
Plenus	—	Vacuus, exilis.
AEqualis	—	Inæqualis.
Regularis	—	Irregularis.

Ex his, pulsum suppressum sæpe apparenter durum, (a G. Fordyce *obstructum* dictum,) a pulsu duro probe discernere practico plurimum interest. Est autem pulsus suppressus seu obstructus, pulsus plenus a digito vix recedens, simulque valde parva differentia inter systolen et diastolen arteriæ notatus, arteria interim semper magnam diametrum servante, et sensum mollitiei digito palpanti imprimente.

3. *Torpor, sensus lassitudinis, membrorum detolatio.* Hæc, vires musculares æque ac facultates mentales, exercendi impotentia seu vigoris defectus, a prostratione virium seu debilitate *vera*, probe distinguenda est. In utraque pulsus parvus, exilis, quasi sub digito fugiens; sed prior potius est virium suppressio a febre dependens, utplurimum levidensis, cessante febre evanescens; dum vera virium jactura ex hæmorrhagiis aut sanguinis missionibus largis repetitis, vel ex diarrhoea, fame aut inedia prægressis orta, symptoma summe periculosum in febribus constituit. Vide *Asthenia.*

4. *Inquies* mentis et corporis, sensuum externorum hebetudo, anxietas, oppressio ad præcordia, sæpe a febre, sæpe etiam a ventriculo affecto dependent.

5. *Secretionum* omnium diminutio maxime durante stadio frigoris; unde urina parca,

tenuis, limpida; alvus astricta; cutis sicca, tensa, in rugas contracta, coloris fuscescentis, luridi. Hæc omnia æque ac priora, sub n° 4 recensita symptomata, præprimis a contractione vasorum minorum in tota corporis superficie et ab accumulatione fluidorum in vasis majoribus internis dependent.

6. *Lingua* muco glutinoso, vel crusta alba, flava, aut fusca obducta: Cum hac sæpe adest anorexia, nausea, vel vomitus.

7. *Delirium* in multis febribus mox ab initio accedit, sed diversæ omnino naturæ. Delirium et kephalalgia, in stadio frigoris apparens, ab integumentis capitis externis aut pericranio solo affectis, ex contractione vasorum minorum oriri videntur; sed delirium, in stadio caloris accedens et cum sensu quasi cerebri compressi junctum, a dilatatione vasorum et compressione cerebri, per vim cordis auctam, dependere potius videtur. In priori, dolor capitis, etsi sæpe magis violentus, externus; in posteriore vero internus est, cum sensu distentionis cerebri, sæpe etiam cum stupore aut immobilitate oculorum junctus.

Hæc symptomata, mox enumerata, plura vel pauciora febrem constituunt; quo magis numerosa, et quo magis violenta observantur, eo in genere febris vehementior est.

CAUSAE febrium generales sunt:

1. Exhalationes contagiosæ, putridæ;

2. Miasmata peculiaris naturæ, mediante aëre advecta, in eoque diffusa, suspensa, vel soluta;

3. Exhalationes paludum, aut aquarum stagnantium;

4. Frigus, vel humiditas corpori applicata;

5. Acria quæcunque, in corpore ipso generata, aut ex massa sanguinis evoluta.

Harum tres priores corpori sano plerumque communicantur mediante saliva in ventriculum deglutita; vel mediante aëre per nares in pulmones advecta ibique absorpta; vel contactu immediato, aut forsan etiam cum aëre vel aliis fluidis mixta, cuti applicata et ex eadem in massam sanguinis absorpta.

EXHALATIONES autem contagiosæ, absque contactu immediato, febri excitandæ aptæ, sunt sequentes:

1°. *Exhalationes* ex hominibus apparenter sanis, saltem nullo morbo evidente affectis, in carceribus detentis; vel etiam pluribus simul in cubilibus arcte clausis, aut in locis non probe ventilatis degentibus. Alia animalia, ut boves, sues, oves, majori numero in loco angusto simul occlusa, materiam febrilem inficientem generandi quoque subjecta sunt. Hæc materies in quovis animali naturæ et in-

dolis peculiaris esse videtur ; nam eadem materies quæ unum genus animalium afficit, aliud vix aut ne vix afficere observatur.

2°. *Exhalationes contagiosæ* ex ægris febre laborantibus in nosocomiis, castris, etc.

3°. *Exhalationes putridæ*, seu vapor gazosus ex decompositione vegetabilium, vel animalium varie corruptorum exhalans, frequens febrium causa est. Sed, an hic vapor quid commune habeat cum materia alterutra præcedenti, an diversæ sit indolis, non satis liquet.

4°. *Fluida noxia*, vel *venenata*, peculiaria, quæ corpori applicata, vel simplici contactu, vel vulnere inflicto, symptomata morbosa producunt : Sic materia variolosa, rubeolosa etc. ex aëre absorpta, febrem inducit. Sed materia variolosa, externe punctura aut insitione applicata, æque ac alia venena ictu aut morsura corpori communicata, nec non illa, quæ faucibus applicata ulcera gangrænosa producunt, modo longe diverso agunt. In hisce casibus primo oritur morbus localis, et systema corporis nonnisi secundarie afficitur, ac febris sic orta gradatim vel illico cessat, quando morbus localis, aut causa ejusdem ablata fuit.

5°. *Exhalationes paludum aut aquarum* stagnantium in omnibus terræ locis periculosæ; sed in regionibus calidis præcipue, febres re-

mittentes pessimas et frequenter lethales excitant.

Quomodo hæ exhalationes in corpus agant, non liquet; sed probaliter per gaz hydrogenium ex decompositione aquæ ortum, per se vel cum aliis effluviis gazosis noxiis mixtum; quandoque etiam per humiditatem aut frigus, vel per ambo simul juncta agunt.

6ta. Febrium causa, in regionibus calidis frequentissima, est *Bilis* quantitate abnormi aut qualitate vitiata secreta. Hanc causam frequenter existere intime persuasum habeo; quidquid contra dictum fuerit a pluribus neotericis, qui climata calida, nonnisi nomine, noverunt. In Zona torrida solem resinosas vegetabilium substantias acres præprimis excoquere omnibus notum est, qui virtutes plantarum quodammodo explorarunt; et hanc ipsissimam causam, quæ adeo potenter in vegetabilia agit, in systema hepaticum potissimum agere, et sic secretionem bilis non solum mirifice augere, sed partem ejus constitutivam præcipuam, quæ Resina est, acrimonia in regionibus temperatis incognita, sæpe evolvere, nullus dubito. Inde febres biliosæ frequenter lethales, et inflammationes hepatis periculosissimæ, cito in suppurationem et mortem abeuntes; nec non cholerrhagiæ et dysenteriæ pessimæ, quas in re-

gionibus temperatis, etsi sæpe longe lateque præcipue versus finem æstatis epidemicas, sed in genere minus deleterias, observamus.

7ma Febrium causa est *subita corporis expositio frigori;* sed hæc expositio frigori semper relativa est, dum scilicet corpus vel pars ejus, ex medio calidiore subito frigidiori, exponitur idque in quocumque climate: ideo hæc causa etiam in Zona torrida locum habere potest, si corpus ex temperatura atmosphæræ 130 grad. Therm. Fahrenh. subito exponitur temperaturæ 100 graduum; aut ex 100 gradibus ad gradus 80; aut ex 60°, ad gradum 40. Eadem hæc causa in regionibus calidis febres varias excitare videtur, quæ in regionibus frigidis rheumata producit, plerumque immediate, raro saltem post 24 horas.

8va Febrium causa est *humiditas atmosphæræ,* quæ quandoque cum frigore junctim agit.

9na Febrium causa est *humiditas vestimentorum.* Vestimenta aqua humectata, quo caloricum ex corpore constanter emanans facilius, eo certius agunt, et eo minus, quo idem difficilius transmittunt. Hinc lintea humida facilius quam lana, et lana densioris texturæ facilius quam lana rara (vulgo *Flannel* dicta) febri gignendæ favent.

10°. *Subita et violenta animi pathemata* præprimis cum anxietate juncta, quandoque subito frigus febrile et febrem inducunt.

11°. Demum *nutrimenta indigestibilia*. Hæc quidem per se febrem raro excitant; sed e febre mox emersis, facile et fere semper certum febris relapsum causant.

Causas febrium speciales, non vagas et imaginarias, sed quatenus nobis ex observationibus exactis cognitæ sunt, sub quolibet febris genere in sequentibus indicabo.

CL. I. ORDO I. FEBRES.

SECT. I. FEBRES DIARIÆ.

Gr. Ἐφήμεροι πυρετοί.

GENUS I. EPHEMEROPYRA.

Gr. Ἐφήμερος πυρετὸς, ab ἐφήμερος, diurnus: ἡμέρα, dies, et πῦρ, febris (*). Febris unius diei.

Febris ex unico paroxysmo constans, qui tribus stadiis, stadio frigoris, stadio caloris et stadio criseos, plerumque intra 24 horas absolvitur, saltem raro ultra 48 horas durat. — Post horripilationem, aut frigus calor auctus, subsequente post aliquot horas, utplurimum vel sudore generali, vel crisi per alvum aut urinas, rarius sine ulla evacuatione notabili, ægro perfecte sano relicto.

(*) Vocabulum πῦρ ignem aut calorem intensum apud græcos significat; sed ab Hippocrate passim etiam pro febre violenta adhibetur. Ego idem sensu latiore in Nosologia adoptare non hæsitavi, indeque adjuncta litera *a*, nomina febrium latina varia effinxi; et sic difficultatem evitare studui, quæ alias ex vocabulo πυρετὸς, quod Græcis masculinum est, oriretur.

Syn. Febris Ephemera. }
— Diaria. } *Auct.*
— Simplex benigna. }

SECT. II. FEBRES CONTINUÆ (*).

Gr. Σύνοχοι : Συνέχοντες πυρετοί, Hipp.

Febres ab ortu ad finem usque constanter, per plures dies vel hebdomadas, sine remissione evidente ac sine levamine ægri durantes, exacerbatione quotidiana vespertina plus minusve

---

(*) Febres omnes, Ephemeropyra excepta, ex pluribus accessionibus seu paroxysmis constant, quorum quivis nunquam ultra 24 horas durat. *In febribus continuis* paroxysmi ita sese invicem suscipiunt, ut exacerbatio nova semper incipiat, antequam paroxysmus prægressus notabiliter levatus, aut diminutus fuerit. *In febribus remittentibus*, remissio inter singulos paroxysmos notabilis cum levamine ægri evidente occurrit, antequam nova exacerbatio superveniat. *In febribus intermittentibus* non solum remissio symptomatum, sed cessatio febris completa, seu Apyrexia (a gr. ἀπυρεξία) inter duos paroxysmos contingit. Paroxysmus (gr. παροξυσμὸς a παροξύνω irritare) est accessio, seu exacerbatio febris, i. e. nova post remissionem morbi perturbatio. *Periodus febris* (gr. περίοδος) est tempus quod febris ab intensione ad remissionem usque percurrit. Apud modernos paroxysmus vulgo etiam pro periodo sumitur.

notabili, et plerumque delirio stipatæ: Sibi relictæ, certo temporis spatio increscentes, donec ad summum gradum (gr. Ἀκμήν dictum) perveniant; deinde in hoc per aliquot tempus persistentes, et tandem gradatim diminuentes, donec solvantur et ægrum sanum relinquant, vel eundem e medio tollant.

Syn. Febres continuæ. } *Auct.*
— continentes.
— continuæ continentes.

G. II. STHENOPYRA.

A Gr. Σθένος, robur.

Febris acuta continua, robore et actione cordis ac systematis arteriosi valida stipata. Pulsus frequens, fortis, plenus, durus, quandoque suppressus; calor intensus; lingua crusta alba tecta; sensatio tensionis corporis universalis, cum tumore et rubore cutis; apepsia; inquies; agrypnia; sensatio doloris in interiore capitis quasi caput dissiliret; rubor et tumor oculorum; delirium; respiratio profunda: quandoque dolores extremitatum fugaces;

fugaces; urina rubra; sanguis missus cito in insulam coiens, et in superficie crustam albam coriaceam formans. — Morbus præcipue rigido Hyeme aut Vere infestans corpora robustiora, maxime incolas Alpium et regionum septentrionalium.

SYN. Phlogopyra (*).
Inflammatio generalis. *Auct.*
Febris inflammatoria. *Auct.*
— acuta sanguinea. *Fr. Hoffmann.*
— plethorica seu sanguinea. *Sauvag.*
— continua non putris. *Boerhave.*
— imputris. *Auct.*
— irritativa. *Darwin.*
— sthenica. *Brown.*
— synocha. *Cullen.*
— synochus. *Vogel.*
— hyemalis. *Sydenham.*

A. Inflammatory fever.
G. Fièvre inflammatoire.
Ge. Entzündungsfieber.

(*) Hanc febrem quam in Pharmacologia et Pharmacopœia mea *Phlogopyram* appellavi (a gr. φλέγω, incendo, inflammo) hic in Nosologiam sub termino exactiore *Sthenopyrœ* introduxi.

G. III. ASTHENOPYRA.

A Gr. Ἀσθενῶ, ab α negat. et σθένος, robur.

Febris acuta continua, magna debilitate et actione cordis ac systematis arteriosi imbecilla stipata.

In primo febris hujus stadio quandoque per plures dies pulsus et urina naturales; progressu morbi pulsus parvus, mollis, debilis, frequens, sæpe ad centum viginti et ultra pulsationes in minuti spatio ascendens; quandoque, sed rarius, tardior naturali, ad 60 pulsationes descendens; magna virium prostratio; alysmus; functiones cerebri plus minusve turbatæ; sermonis insolita promptitudo; urina sibi relicta transparens sine sedimine(*).—Morbus maxime subjectis debilibus aut vario modo exhaustis infestus (**).

(*) Hæc febris cum phlogosi topica juncta phlegmasias asthenicas constituit. Vide *Phlegmasiæ*.

(**) Methodus medendi, in hac æque ac aliis febribus debilitate vitali stipatis, stimulans certe rationalis est; sed ut titillatione leniori grate excitantur nervi, sic majori

Syn. Blechropyra (*).

Febris asthenica. *Brown.*

— nervosa.

— lenta nervosa. *Huxh.*

— maligna. *Auct.*

— nova. 1685. *Sydenh.*

Typhus. *Cull.* et *S.*

Typhus nervosus comatosus. *Auct.*

Febris maligna hectica. } *Willis.*
Lues nevrodes convulsiva. }

A. Low nervous fever; Typhus.

G. Fièvre maligne; fièvre pernicieuse.

Ge. Nervenfieber.

Variat pro causa remota:

α. Ab hæmorrhagiis aliisve evacuationibus nimiis prægressis.

β. Ab inedia aut victu nimis tenui pro ratione exercitii.

---

ad mortem usque stimulari possunt: hinc vino aliisve stimulantibus, a Brownianis large et incaute in hisce febribus administratis, mortem pluries evidenter inductam vidi.

(*) Hæc febris minime confundenda est cum febricula chronica irregulari quam in sequentibus sub nomine *Nevropyræ* designavi: ideo etiam nomen *Blechropyræ* quo olim ad denotandam hanc febrem usus fui, ut æquivocum rejeci; atque terminum magis præcisum *asthenopyræ*, hic substitui.

γ. A jactura seminis nimia, ex coitu aut aselgotripsia.

δ. A studiis intensis, præcipue lucubrationibus nocturnis.

ε. Ab usu simulantium diu continuato.

ζ. A mœrore aliisve animi affectibus tristibus.

η. A frigore intenso.

G. IV. PHLEGMAPYRA.

Gr. Φλέγμα, pituita.

Febris acuta continua, cum pulsu frequente, molli, parvo, debili, ac pituita abundante per totum corpus diffusa, aut etiam solas primas vias vel pulmones primario obsidente. — Morbus sero autumno phlegmaticis, chloroticis, senibus, et præcipue spirituosorum usui indulgentibus infestus (*).

Syn. Febris pituitosa. *Stoll.* (**)

(*) Si quis hanc febrem potius pro specie asthenopyræ habendam esse contendat, huic vix habeo quod opponam; et in hoc casu asthenopyram in simplicem et pituitosam distinguerem.

(**) Hæc febris, sæpe cum infarctu pituitoso pulmonum, hepatis, cerebri etc. juncta, phlegmasias horum viscerum pituitosas constituit. Vide *Phlegmasiæ*.

G. V. SEPTORRHEPYRA.

Gr. Σηπτοῤῥεπὴς, ad putredinem vergens; unde Σηπτοῤῥεψία, inclinatio ad putredinem.

Febris acuta continua ad putrefactionem vergens, contagiosa. In primo morbi stadio sæpe, maxime in subjectis robustis, vel sub climate aut tempore anni frigido, magna cordis et systematis arteriosi reactio cum pulsu frequente, forti, pleno aut suppresso: Progressu morbi, sed frequenter etiam mox ab initio insolita virium prostratio; pulsus frequens, debilis, mollis, quasi sub digito fugiens; delirium. Secundo aut tertio morbi die vel tardius, urina turbida, viscida, fuscescens aut profunde fusca, quandoque post horam unam alteramve sedimentum fuscum deponens; alvus liquida, nigra, fœtida et tandem putridum spirans (*); sudor lintea colore rufo, quasi ichore tingens;

(*) Odor cum fœtore ex gaze hydrogenio in intestinis extricato non confundendus.

lingua et dentes crusta fusca, dein nigra tecti; halitus fœtidus; in cute petechiæ seu maculæ lividæ aut purpureæ, variæ magnitudinis, et in ultimo morbi gradu color cutis universalis profunde purpureus: Sanguis missus in insulam ægre coiens eamque leviter cohærentem, serum insulam circumdans fuscescens vel cruentum.—Morbus ab effluviis humanis noxiis, præcipue plurium hominum in carceribus, navibus vel cubilibus arctis aut non probe ventilatis inclusorum ortus, summe contagiosus, periculosissimus, et sæpe cito aut quandoque etiam subito lethalis.

Syn. Synochus. *Cull.* et *S.*
—— Putris. *Auct.*
Febris carcerum et Nosocomior. *Pringle.*
— continua putrida. *Boerh.*
— epidemica. *Sydenh.*
— depuratoria. *Idem.*
— maligna. *Stoll.*
— violenta. *G. Fordyce.*
— sanguinea. } *Auct.*
— sudatoria. }

Febris pestilentialis.
— petechialis.
— variolosa maligna.
— miliaris maligna. } *Auct.*
Purpura petechialis.
Scarlatina maligna.
Synocha dysenterodes miliaris.

A. Putrid fever; violent fever.
G. Fièvre putride, maligne.
Ge. Faulfieber.

G. VI. LOIMOPYRA.

Gr. Λοιμώδης πυρετὸς, febris pestilentialis, à Λοιμὸς, pestilentia seu pestis.

Febris continua acutissima, quandoque per effluvia cum aëre mixta, sed maxime per contactum ægri immediatum, aut per vestes, stragula lecti, vel per lanam aut gossypium etc. inficiens, summe contagiosa; in Ægypto et Syriæ plagis maritimis endemica, ex effluviis noxiis peculiaribus oriunda.

Hic morbus sæpe invadit cum summa virium vitalium prostratione simulque facultatum intellectualium omnium læ-

sione subita generali, et pulsu interim vix aut ne vix mutato, mors subita. Sed frequentius initio dysphoria generalis, inquies, anxietas et oppressio ad præcordia; dolor obtusus supra sinus frontales et in articulationibus extremitatum; tormina ventris; dolor vulnerum antea cicatrisatorum; horripilationes irregulares præcipue in extremitatibus inferioribus; oculi hebetes, tristes, lacrymantes; nausea, vomitus pituitæ, bilis; pulsus frequens, debilis, vel suppressus. Post aliquot horas, vel die sequente, pulsus frequens et fortior; calor generalis; cutis arida, urens; kephalalgia intensa cum vertigine; delirium furibundum, vel sopor; contractiones spasmodicæ musculorum extremitatum et faciei; caligo; vox debilis; dysenteria cum excretione sanguinis nigri, fœtidi; glandularum lymphaticarum, inguinalium vel subaxillarium tumores cito suppurantes, critici, vel gangrænescentes; vibices aut petechiæ; anthraces in facie aut in extremitatibus gangrænosæ: viru membranam

narium pituitosam afficiente sanies foeda ex naso defluens. Quandoque mox ab initio morbi summa virium prostratio cum pulsu frequente, debili, tremulo; interdum per 24 ad 48 horas valida cordis et systematis arteriosi reactio, cito subsequente summa debilitate : quandoque post primum paroxysmum altero die remissio notabilis, sed redeunte paroxysmo secundo violentissimo mors. — Morbus pluries eundem hominem afficere non raro observatur.

A. The Plague; pestilential fever.
G. La peste; fièvre pestilentielle.
Ge. Die Pest; das Pestfieber.

G. VII. OCHROPYRA.

Gr. Ὠχρὸς luteus, flavus. Febris flava.

Febris continua peracuta ex effluviis peculiaribus oriunda; insulis Indiæ occidentalis endemica, sed aliquot abhinc annis sæpius in oris maritimis Americæ septentrionalis, et nuper etiam in Hispaniæ plagis epidemica (*).

(*) Notæ hujus febris characteristicæ, quæ eam ab aliis,

Plerumque prægressa sensatione in ventriculo ingrata, quasi ex nausea et anxietate composita, languor; kephalalgia; magna virium prostratio; dein post horrorem calor plus minusve intensus; pulsus frequens, plenus, mollis, rarius fortis, vel suppressus; oculi tristes quasi lacrymis innatantes, aut leviter inflammati; peculiare quid sinistrum in facie et aspectu ægri : dolor intensus capitis præcipue circa sinus frontales et oculos cum inflammatione adnatæ; delirium ferox vel despondens; agrypnia; dolor et oppressio ad præcordia; constipatio rebellis; urina cruda; lingua plerumque humida, quandoque sordida; respiratio difficilis; inquies; anxietas; nausea, vomituritio; cutis sicca; calor quandoque urens; syncope ad minimum motum mi-

---

præcipue à peste, acute distinguunt, sunt : 1°, quod contactu ægri non propagetur; 2°, quod nonnisi urbes aut loca marisima infestet; deleterios suos effectus a littore maris per ripas fluviorum vicinorum quandoque sed rarius extendens; 3°, quod interiores terræ plagas, ultra horæ unius vel alterius distantiam à mare aut fluviis sitas, nunquam invadat.

nitans; stupor. Secundo aut tertio morbi die color totius corporis luteus; vomitus frequens materiæ tenacis, mucosæ vel nigræ cum summa anxietate ad præcordia; urina turbida, profunde colorata; alvus nigra, picea; hæmorrhoeæ variæ; maculæ cutis lividæ; pulsus frequens, irregularis, tremulus, intermittens; sopor; convulsiones; mors (*).

Syn. Febris flava. *Auct.*
Typhus icterodes. *Eymann.*
Synochus icterodes. *Currie.*
Febris maligna pestilentialis. *Chisholm.*
— epidemica contagiosa Indiæ occidentalis. *Auct.*

A. The yellow fever.
G. La fièvre jaune.
Ge. Das gelbe fieber.
Hisp. Vomito negro, *s.* prieto.

(*) In cadaveribus ventriculus et intestina flava, aëre distenta; hepar et splen tumida; vessicula fellea ejusque ductus excretorius bile atra picea repleti: in superficie ventriculi et duodeni maculæ nigræ, gangrænosæ. Hæc febris, etsi per se non contagiosa, ægris in nosocomiis aliisve locis non probe ventilatis accumulatis,

SECT. III. FEBRES CONTINUÆ REMITTENTES.

Gr. Συνεχεῖς πυρετοί : Ἐπαναδιδόντες πυρετοί, *Hipp.*

Febres continuæ, remissionibus evidentibus et exacerbationibus diurnis vel vespertinis, quotidianis, vel omni alterno aut tertio die cum horrore recurrentibus, stipatæ, pulsu remanente constanter febrili : In regionibus calidis humidis endemicæ ; in regionibus temperatis, præcipue sera æstate vel autumno, sæpe epidemicæ.

SYN. Febres continuæ remittentes. *Boerh.*
— periodicæ. *Sennert.*
— proportionatæ. *Torti.*
— exacerbantes. *L.*
— continuæ. *V.*
— continentes. *Morton.*

---

sine dubio contagiosa evadit, quidquid contra a pluribus scriptoribus assertum fuerit. — Methodus medendi efficacissima, hactenus in ochropyra æque ac cholepyra regionum calidarum detecta, est radix Columbo ad grana quindecim-viginti cum æquali portione muriatis hydrargyri, quater aut sexies de die, data.

Variant typo (*) :

1. Amphemerina. (Gr. Ἀμφημερινός.)

Febris continua remittens quotidiana cum exacerbatione vespertina.

2. Hemitritæus. (Gr. Ἡμιτριταῖος πυρετός.)

Febris continua remittens, 24 horarum spatio exacerbans, quavis secunda exacerbatione vehementiore ; vel exacerbatio alternis diebus vehementior, cum accessu frigoris, quasi febris tertiana cum quotidiana continua juncta.

Syn. Febris tertiana continua. *Auct.*
— semi-tertiana. *Celsi.*
— tertiana duplicata. *Auct.*
— — duplex. *Auct.*

3. Tritæophya. (Τριταιοφυὴς πυρετός. *Hip.*)
(Τριταῖος συνεχής. *Gal.*)

Febris continua remittens, cum exacerbatione vespertina, alternis diebus vehementiore.

(*) Typus (τύπος gr.) est, juxta Galenum, ordo quem accessiones et remissiones febrium servant ; hinc typus quotidiana, tertiana, quartana, etc.

SYN. Febris tertiana continua. *Auct.*
— maligna. *Auct.*
— perniciosa. *Torti.*

4. Tetartophya. Gr. Τεταρτοφυὴς πυρετός.

Febris continua remittens, quartanæ typum imitans, paroxysmis quarta quavis die sibi mutuo similibus, exacerbatione quavis tertia die vehementiore.

SYN. Febris quartana continua. } *Auct.*
— — triplex. }

G. VIII. HELOPYRA.

A Gr. Ἑλώδης πυρετός. Febris. Ab Ἕλος, palus: Febris paludum.

Febris continua remittens, cum exacerbatione diurna vel vespertina, simplici vel duplici intra 24 horas, ab exhalationibus aquarum stagnantium vel paludum orta.

Prægressa utplurimum sensatione in ventriculo peculiari ingrata, ex nausea quasi et anxietate composita; apepsia; vomituritio vel vomitus; oppressio ad præcordia; alysmus; magna virium

prostratio; kephalalgia; pulsus frequens, initio sæpe fortis, plenus; progressu morbi mollis, parvus, debilis.

Syn. Febris sudatoria.		*Auct.*
— diaphoretica.		
— continua remittens.		
— castrensis.		
Febres gastricæ.		
— saburrales.		

A. Marsh-fever.
G. Fièvres des marais.
Ge. Sumpf-fieber.

I. Helopyra regularis.

Symptomatibus helopyræ mox recensitis stipata.

II. Helopyra irregularis (*).

Symptomatibus gravibus et periculosis, periodice redeuntibus stipata; periodo quotidiana, tertiana, quartana, etc. etc.

(*) Helopyras, quales in locis humidis, paludosis Italiæ occurrunt, optime nuper delineavit Dr. Thouvenel. Vide *Traité sur le Climat d'Italie*, 4 vol. *in*-8°. A Vérone 1797: et Mêlanges d'Histoire naturelle, de Physique et de Chimie, 3 vol. *in*-8°. Paris 1806.

Species aut varietates sunt:

Sp. 1. Helopyra *Sthenica.*

Helopyra reactione valida cordis et systematis arteriosi stipata.

Sp. 2. Helopyra *Asthenica.*

Helopyra reactione cordis et systematis arteriosi debili stipata.

Sp. 3. Helopyra *Phlegmasiaca.*

Helopyra phlogosi locali stipata.

Sp. 4. Helopyra *Exanthematica.*

Helopyra eruptione macularum, papularum vel pustularum variarum in superficie corporis stipata.

Sp. 5. Helopyra *Apokenotica.*

Helopyra evacuatione abnormi stipata.

α. Cum hæmorrhagia vel hæmorrhoea.
β. Cum hyperemesia.
γ. Cum diarrhœa vel dysenteria.
δ. Cum hyperhidrosi.

Sp. 6. Helopyra *Eclytica.*

Helopyra symptomatibus torporis, debilitatis stipata.

α. Cum

α. Cum ingenti virium prostratione.
β. Cum syncope ex levi motu.
γ. Cum cataphora (carotica, comatosa, lethargica.)
δ. Cum catalepsi.
ε. Cum apoplexia.
ζ. Cum paralysi.

Sp. 7. Helopyra *Algematica.*

Helopyra dolore aut sensatione ingrata stipata.

α. Cum cnesmo.
β. Cum alysmo. (Gr. ἀσσώδης.)
γ. Cum rigore, seu magno frigoris gradu. EPIALA. *Auct.* ALGIDA. *Torti.* (Gr. ἠπίαλος πυρετὸς s. φρικώδης).
δ. Cum ardore intolerabili. Febris ardens. *Auct.* (Gr. καῦσος s. πυρικαὴς πυρετός).
ε. Cum defectu caloris in extremitatibus partibusque externis, et sensatione caloris intensi in partibus interioribus corporis.

Lipyria. *Auct.* (Gr. Λειπυρία.)

ζ. Cum kephalalgia.
η. Cum ophthalmia.
ϑ. Cum gasteralgia.
ι. Cum enteralgia.

κ. Cum nephralgia.
λ. Cum dysuria aut ischuria.

Sp. 8. Helopyra *Spasmodica.*

α. Cum tetano.
β. Cum gnathospasmo.
γ. Cum subsultu tendinum.
δ. Cum convulsionibus.
ε. Cum epilepsia.
ζ. Cum singultu. (Gr. Λυγγώδης πυρετός.)
η. Cum hyperkinesia.
θ. Cum asthmate.

Sp. 9. Helopyra *Paracoptica.*

Helopyra cum delirio aut mentis alienatione varia.

Sp. 10. Helopyra *Emphractica.*

Helopyra cum emphraxi aut tumore hepatis, splenis, pancreatis, mesenterii, etc.

Sp. 11. Helopyra *Verminosa.*

Helopyra cum symptomatibus vermium intestinalium.

III. Helopyra complicata.

Febris partim ab exhalationibus paludum, partim ab effluviis noxiis animalibus orta, hinc

frequenter symptomatibus Helopyræ simul ac Septorrhepyræ stipata.

G. IX. CHOLEPYRA.

A Gr. Χολὴ, bilis : Febris biliosa.

Febris continua remittens, exacerbationibus matutinis vel vespertinis quotidianis stipata. Initio morbi plerumque horripilatio; vertigo; kephalalgia; magna virium prostratio; dolor dorsi et lumborum; inquies; anxietas; oppressio ad præcordia; sitis vehemens; oris amarities; apepsia; nausea; dolor ad scrobiculum, pressione epigastrii vel hypochondrii dextri præcipue sese manifestans. Progressu morbi hyperemesia materiæ flavæ, viridis aut amaræ, quandoque amarissimæ simul ac acerrimæ, urgens plerumque cum delirio; lingua sicca, alba, vel villis flavo-viridescentibus hirta; pulsus frequens, quandoque initio morbi, fortis, suppressus, sed brevi postea mollis, debilis; sensatio caloris intensi; cutis calida, digitum palpantis ingrate urens aut pungens; urina parca, frequen-

ter missa, prærubra vel profunde flava, crocea, sæpe a principio morbi sedimentum flavum aut lateritium deponens; facies rubra; oculi splendentes, et quasi lacrymis innatantes; pinnæ narium et commissuræ labiorum oris pallidæ, ex flavo-viridescentes. Post 8, 12, aut 24 horas sudor plerumque partialis, raro generalis, cum remissione symptomatum: deinde exacerbatio omnium symptomatum quandoque cum, sæpius sine frigore prægresso; delirium vel coma; respiratio difficilis; tremor aut subsultus tendinum, cum remissionibus brevioribus, minus distinctis; et si singultus accedit, utplurimum quarto aut quinto die mors (*).

Febres biliosæ. } *Auct.*
— gastricæ. }
Febris biliosa castrensis. *Pringle.*
— æstiva. *Auct.*

(*) Hæc febris maxime in Europa australi a fine veris per æstatem ad initium autumni usque epidemica observatur; sed in regionibus Zonæ torridæ præcipue tempore pluviarum epidemica est, a bile qualitate et quantitate

A. Bilious fever.
G. Fièvre bilieuse.
Ge. Gallfieber.

I. Cholepyra regularis.

II. Cholepyra irregularis.

Sp. 1. Cholepyra *Sthenica.*

Cholepyra cum exacerbatione quotidiana, sed tertio quovis die notabiliore: pulsus plenus, fortis, suppressus vel revera durus, digitum prementis urens, sæpe cum phlogosi locali; calor præcipue internus ardentissimus; sitis inexplebilis; lingua sicca, aspera, nigra; delirium, agrypnia; et non raro tormina ventris ac diarrhœa.

Syn. Causus. Gr. Καῦσος.
Febris ardens.
Phlegmasiæ biliosæ.
Rheumata biliosa.
} *Auct.*

---

vitiata secreta orta, quæ causam morbi materialem constituit. Sol in Zona torrida, ut resinas plantarum acres evolvit, sic etiam partem bilis resinosam acerrimam excoquit. Hæc febris non solum cum cholerrhagia, dysenteria, hepatitide, sed etiam cum inflammatione topica aliorum viscerum sæpe jungitur; unde Phlegmasiæ biliosæ variæ. Vide *Phlegmasiæ.*

Sp. 2. Cholepyra *Asthenica.*

Cholepyra cum reactione debili cordis et systematis arteriosi, sæpe cum frigore insolito in partibus externis corporis juncta (*).

Sp. 3. Cholepyra *Septorrhepes.*

Cholepyra petechiis aliisve symptomatibus septorrhepyræ stipata, utplurimum ex bile corrupta aut saburra putrida in primis viis nidulante, vel ex iisdem absorpta et in massam sanguinis delata oriunda : Sæpe etiam tempore famis aut anonæ caritatis, ex ingestis pravæ qualitatis, epidemica.

Syn. Febris remittens maligna. *Auct.*
— castrensis. *Pringle.*
— Hungarica.
— pestilentialis. *Auct.*
— catarrhalis maligna.
— ——— petechizans. *Fr. Hoff.*
— biliosa putrida. *Auct.*
— — maligna.
— — petechialis.

(*) Si ardor partium internarum cum frigore cutis et extremitatum intenso jungitur, *Lipyriam* seu *Leipyriam* (Gr. Λειπυρία à λείπω deficio, et πῦρ calor) dixerunt.

G. X. RHEUMATOPYRA (*).

A Gr. Ῥεῦμα, fluxus : Febris rheumatica.

Febris initio plerumque continua, sed secundo aut tertio morbi die, aut serius evidenter remittens, cum exacerbatione quotidiana vespertina. — Prægressis languore, horripilatione per totum corpus, ac dysphoria generali pulsus frequens, plenus, et sæpe, maxime initio morbi, fortis, suppressus; deinde plerumque parvus, debilis, mollis, cum phlogosi aut dolore in variis corporis partibus junctus. — Morbus in Zona torrida rarus, in regionibus Europæ temperatis æque ac septentrionalibus, præprimis autumno et hyeme, frequentissimus, plerumque ex transpiratione refrigerio corporis suppressa, semper et evidenter

(*) An Rheumatopyra, qualem hic delineavi, inter febres recensenda sit, an minus, periti judicent. Cæterum febrem rheumaticam ab auctoribus descriptam a febre catarrhali ac erysipelatosa, nonnisi sede phlogosis differre ex numerosis observationibus persuasum habeo.

a materia acri membranam mucosam vel fibrosam irritante et vellicante ortus.

Syn. Febris catarrhalis. } *Auct.*
— catarrhosa.
— erysipelatosa.

Sp. 1. Rheumatopyra *Sthenica.*

Rheumatopyra reactione valida cordis et systematis arteriosi stipata.

Sp. 2. Rheumatopyra *Asthenica.*

Rheumatopyra actione cordis et systematis arteriosi debili stipata.

Sp. 3. Rheumatopyra *Complicata.*

Rheumatopyra cum saburra biliosa primarum viarum.

Syn. Febris rheumatica biliosa. } *Auct.*
Rheumatismus acutus biliosus.

SECT. IV. INTERMITTENTES.

Gr. Διαλείποντες πυρετοί, a Διαλείπω intermitto.

Febres ex pluribus periodis constantes, quarum quævis perfecte finitur et ægrum, excepto languore, apparenter sanum relinquit, antequam exacerbatio nova adoriatur; paroxysmo quovis die

unico tantum : ex iisdem causis ac Remittentes ortæ, præcipue in regionibus temperatis aut frigidis, paludosis, aquosis.

Syn. Febres intermittentes. } *Auct.*
— periodicæ. }

A. Agues.
G. Fièvres d'accès; fièvres intermittentes.
Ge. Wechselfieber; kalte fieber.

G. XI. DIALEIPYRA.

Gr. Διαλείπων πυρετὸς, febris intermittens.

Febris periodis pluribus constans, quarum quævis stadiis ut plurimum tribus, evidenter distinctis, stadio caloris, stadio frigoris, et stadio sudoris notatur. Febris mane aut pomeridie, ante 5^tam^ vespertinam, ægrum aggrediens cum horrore, frigore plus minusve intenso; cum pulsu frequente, parvo, debili; subsequente post horam unam alteramve calore cum pulsu frequente, magno, forti, pleno, quem post plures horas excipit sudor generalis; quo finito apyrexia perfecta, levamen omnium symptomatum et æger apparenter sanus : Urina ad finem paro-

xysmi missa sedimentum lateritium deponens.

Variat typo.

1. Dialeipyra *Quotidiana*.

Gr. Ἀμφημερινὸς πυρετὸς, *s.* Καθημερινὸς πυρετός.

Febris post 24 horas regulariter recurrens.

2. Dialeipyra *Tertiana*.

Gr. Τριταῖος πυρετός.

Febris post 48 horas recurrens, seu die uno integre evanescens, tertio rediens.

Febris Tertiana duplicata paroxysmis duobus eodem die, uno matutino, altero vespertino; sequenti die apyrexia.

3. Dialeipyra *Quartana*. (*)

Gr. Τεταρταῖος πυρετός.

(*) Præter typos mox dictos et frequentiores, alii, ut febris *quintana*, *sextana*, *septana*, etc., passim occurrunt. Cæterum quotidianæ sæpe in tertianas, et tertianæ non raro in quartanas, aut in continuas remittentes varias mutantur. Febrem semitertianam, tertianam duplicem et quartanam triplicem etc. rectius ad remittentes referendas esse judicavi.

Febris spatio 72 horarum recurrens, ægro per biduum integre valente.

I. Dialeipyra regularis (*).

II. Dialeipyra irregularis.

SPECIES aut VARIETATES dialeipyræ irregularis, eædem sunt ac Helopyræ irregularis. *Vid.* HELOPYRA.

SECT. V. FEBRES ANOMALÆ s. SYMPTOMATICÆ.

G. XII. SYNTECOPYRA.

Gr. Συντήκων πυρετὸς, a Σύντηξις, colliquatio: Febris colliquativa.

Febris continua remittens, exacerbationibus quotidianis vel tertianis ac diarrhoea profusa stipata; chronica, per plures septimanas imo et menses durans: Pulsus frequens, mollis, debilis; alvus tenuis, fœtida, pinguis, frustulis albis instar sevi concreti et indurati,

---

(*) Dialeipyra simplex regularis sæpe medicina est, non morbus.

aut instar arenæ crassioris mixta. Quandoque simul urina copiosa, transparens, cum pinguedine telæ araneæ simili, aut turbida fuscescens, vel cum sedimento furfuraceo, mucoso; vel hyperhidrosis viscida foetida, cum subita totius corporis emaciatione. Morbus ex decompositione chemica massæ sanguinis ortus, sine vitio gastrico, paullatim mortem inducens.

Sp. 1. Syntecopyra *Idiopathica.*

Febrem colliquativam primariam seu essentialem observavit *Burserius.* An febris tropica *veterum?*

Sp. 2. Syntecopyra *Symptomatica.*

Syntecopyra cum febribus continuis, remittentibus, vel intermittentibus juncta, aut illis succedens (*).

(*) Syntecopyra idiopathica essentialiter differt a Syntecopyra symptomatica, utpote, in qua posteriore, saburra, in primis viis collecta, sæpe cathartica repetita et dein roborantia poscit; quæ ambo in priori evidenter nocent.

G. XIII. MARASMOPYRA.

Gr. Μαρασμώδης πυρετὸς à Μαρασμὸς, marcor; seu etiam Ἑκτική; Hecticopyra: Febris hectica.

Febris quotidiana remittens, hyperhidrosi aut diarrhoea colloquativa stipata, cum emaciatione corporis generali.

Sp. 1. Marasmopyra *Ulcerosa*.

Marasmopyra, seu Hecticopyra ex ulcere pulmonum, hepatis, renum, intestinorum etc.

Sp. 2. Marasmopyra *Emphractica*.

Marasmopyra ex obstructione mesenterii, hepatis, ovarii, etc.

Sp. 3. Marasmopyra *Cachectica*.

Marasmopyra ex vitio cachectico, aut cacochymico vario corporis orta.

Variat pro causa remota:

α. A vitio syphilitico.
β. — scrofuloso.
γ. — rhachitico.
δ. — scorbutico.
ε. — hydropico.

Sp. 4. Marasmopyra *Dyspeptica*.

Marasmopyra symptomatibus dyspepsiæ,

et sæpe simul tussicula sicca stomachica; vel Avante, Urorrhagia, Chordapso stipata.

G. XIV. NEVROPYRA.

A Gr. Νεῦρον, nervus : Febris nervosa proprie sic dicta.

Febris, seu potius febricula, irregularis, chronica, modo per plures dies fere continua, modo inordinate remittens vel intermittens cum pulsu frequente, parvo, debili, inæquali; urina plerumque aquosa; facies pallida; extremitates præcipue inferiores frigidæ; metus periculi aut mortis constans, aliave hyperkinesiæ symptomata (*).

G. XV. GALACTOPYRA.

A Γάλα, lac : Febris lactea (**).

(*) Hæc febris quæ apud Græcos sub nomine βληχρὸς ξηρὸς πυρετὸς, febris pusilla sicca, passim occurrit, essentialiter differt ab asthenopyra supra recensita, ut ex charactere dato elucet. — Differt etiam a febre hectica, cum qua ab incautis non raro confunditur; præcipue, si simul, ut sæpe fit, cum tussicula sicca juncta apparet.

(**) A Galactopyra probe distinguenda est febris, cui puerperæ sæpe subjectæ sunt, et quæ hinc ab auctoribus

Febris secundo aut tertio die post puerperium invadens : in lactantibus ephemera, tensione, tumore et dolore mammarum, et secretione lactis in mammis stipata : In non-lactantibus sæpe continua remittens, cum exacerbatione quotidiana, horrore longo, insequente calore ac sudoribus largis, diu protractis. In casibus gravioribus vel perversa methodo tractatis, sæpe ex galactoplania delirium, convulsiones, apoplexia, pneumonitis, asthma, hydrops aut abscessus varii : quandoque etiam in arthritidem, maniam, aut marasmopyram abiens.

---

passim *Febris puerperalis* nominata fuit. Hæc febris puerperarum non est febris peculiaris naturæ, ut vulgo creditur; sed vel ex inflammatione uteri, peritonæi, mesenterii, omenti, etc. a sanguine subito post partum in membranas et viscera abdominalia magno impetu irruente oritur, præcipue ubi constrictio abdominis post partum per fasciam neglecta fuit; vel etiam ex saburra putrida, biliosa, fæculenta durante graviditate in intestinis accumulata; aut demum ex animi affectibus tristibus generatur, et hinc pro causa morbi diversa, diversam omnino naturam habet et methodum medendi diversam requirit.

G. XVI. HELMINTHOPYRA.

Gr. Ἕλμινθος, vermis canalis intestinalis: Febris verminosa.

Febris plerumque irregularis symptomatibus præsentiæ vermium intestinalium stipata. *Vide* Cl. IV. G. *Helminthiasis.*

(*) Hæc febris, sæpe endemica, vel etiam passim epidemica occurrens, pro diversitate vermium in canali intestinali nidulantium, diversa symptomata induit, et diversam methodum medendi requirit.

CL. I. O. II. PHLEGMASIAE.

Gr. Φλεγμασίαι, Inflammationes, a Φλέγω, inflammo, s. Φλέγομαι, ardeo; unde etiam Φλόγωσις, Phlogosis, seu inflammatio.

CHAR. PYREXIA primaria vel secundaria (*); cum phlogosi, seu inflammatione topica in quacunque corporis parte juncta.

SYN. Phlogismata febrilia.
Phlegmasiæ membranosæ et parenchymatosæ. *S.*
Morbi inflammatorii. *Auct.*
— Febriles phlogistici. *L.*
Febres inflammatoriæ. *Auct.*
— continuæ compositæ inflammatoriæ. *V.*

(*) Pyrexia in omni inflammatione primaria vel secundaria esse potest. Pyrexiam primariam seu idiopathicam appello, quando symptomata febrilia inflammationem localem præcedunt, vel simultanee cum ea apparent; Pyrexiam vero secundariam seu symptomaticam, ubi symptomata phlogosis localis apparent, antequam ulla pyrexiæ symptomata percipiuntur, sed hæc posteriora post unum alterumve diem solummodo accedunt. Hæc distinctio, etsi in praxi sæpe difficilis, quum me-

Genera ad hunc ordinem spectantia sunt:

SECT. I. PHLEGMASIÆ PHLEGMONODES, seu CELLULARES.

Genus	I.	ENKEPHALITIS.
	II.	PAROTITIS.
	III.	ANTIADITIS.
	IV.	PNEUMONITIS.
	V.	PLEURITIS.
	VI.	CARDITIS.
	VII.	DIAPHRAGMATITIS.
	VIII.	PERITONITIS.
	IX.	GASTRITIS.
	X.	ENTERITIS.
	XI.	HEPATITIS.
	XII.	SPLENITIS.
	XIII.	PANCREATITIS.

---

dicus raro in primo morbi accessu appellatur, ad recte medendum summi momenti est. In priori casu inflammatio topica a febre generatur, hæcque cursum sequitur, etsi phlogosis topica ablata fuerit; hinc cura principalis medici ad febrem dirigenda est: in posteriore vero, ubi febris ex irritatione seu inflammatione locali gignitur, hæc ultima attentionem medici primariam poscit; nam, hac remediis topicis ablata, febris plerumque sponte cessat.

G. XIV. NEPHRITIS.
XV. OSPHYTIS.
XVI. ORCHITIS.
XVII. OVARITIS.
XVIII. HYSTERITIS.
XIX. MASTITIS.
XX. DERMATITIS.

SECT. II. PHLEGMASIÆ BLENNODES, SEU MUCOSÆ.

G. XXI. OPHTHALMITIS.
XXII. OTITIS.
XXIII. ISTHMITIS.
XXIV. LARYNGITIS.
XXV. BRONCHITIS.
XXVI. KYSTITIS.
XXVII. CATARRHEUMA.
XXVIII. APHTHA.
XXIX. DYSENTERIA.
XXX. ERYSIPELAS.

Huc etiam pertinent inflammationes membranæ mucosæ sequentes, si pyrexia stipantur; sin minus, vel ad Blennorrhagias, vel ad Phlogoses locales referendæ:

Gastritis mucosa.
Enteritis ———
Proctitis ———
Hysteritis ———
Koliositis ———
Postheitis ———
Balanitis ———
Urethritis ———

SECT. III. PHLEGMASIÆ INODES, SEU FIBROSÆ.

G. XXXI. ARTHRITIS.

Huc etiam stricte pertinent inflammationes membranæ fibrosæ sequentes:

Enkephalitis fibrosa.
Ophthalmitis ———
Otitis ———
Gastritis ———
Enteritis ———
Choledochitis ———
Splenitis ———
Osphytis ———
Nephritis ———
Ureteritis ———
Kystitis ———
Orchitis ———

THEORIA INFLAMMATIONIS ET OBSERVATIONES PRACTICÆ DE INFLAMMATIONIBUS IN GENERE.

PHLOGOSIN, seu inflammationem in parte externa corporis adesse cognoscimus ex calore, tumore, rubore, et dolore partis affectæ : eandem in parte interna corporis locum habere judicamus ex sensatione caloris et doloris in parte affecta, ejusque functione læsa, plerumque cum pulsu solito frequentiore, et urina profundius colorata.

Causa proxima inflammationis sive externæ, sive internæ, plerumque est stimulus irritans, chemicus vel mechanicus. Irritatio moderata oscillationem frequentiorem vasorum, et inde motum celeriorem humorum ac secretionem majorem in parte excitat; unde tumor, rubor, dolor, ac calor, et non raro pulsatio evidens in parte affecta. Ubi vero irritatio hæc vehementior est, sæpe contractionem spasmodicam seu constrictionem vasorum perfectam causat; unde, motu sanguinis per vasa minora suppresso, secretio omnis non raro impeditur et siccitas partis affectæ completa oritur. In aliis inflammationibus vehementioribus quan-

doque ex eadem causa subitus et immensus tumor generatur, etsi parva portio solum inflammata sit. In hisce inflammationibus vasa minora non solum sanguine rubro turgent, ut in conjunctiva oculi evidenter observamus, sed etiam sanguis accumulatus subinde in telam cellulosam extravasatur.

At longe abest ut inflammationes omnes ex sola causa mox dicta oriantur. Inflammationes dantur, in quibus circulatio humorum non solum evidenter lentior est, sed accumulatio eorum in parte affecta, ex torpore vasorum, aut obstructione eorundem vera oritur; ut præcipue in inflammationibus ex contusione, concussione, distorsione, luxatione etc. observamus, in quibus accumulatio et mora humorum in vasis debilitatis vel in membrana cellulari evidens est. In aliis casibus inflammatio quoque generatur ex humoribus crassis, seu spissitudine sanguinis, ut in furunculo, in inflammatione mammarum ex lacte coagulato, et in quibusdam inflammationibus criticis. Quandoque etiam inflammatio nascitur ex constrictione aut ex impedimento circulationis sanguinis mechanico in parte; ut in hernia incarcerata, in paraphimosi, et quandoque in prolapsu uteri, recti, etc.

Auctores hactenus inflammationes omnes

diviserunt, 1°, in inflammationes *veras* seu *phlegmonodeas*, aut *parenchymatosas*, et 2°, in inflammationes *spurias*, seu *membranosas*, vel *erysipelatosas*, aut *erythematosas*, sive etiam *catarrhales* aut *rheumaticas* dictas. Priores in glandulis, vasis majoribus aut parenchymate viscerum; posteriores in membranis et vasis minoribus sedem suam habere docuerunt. Hæc inflammationum distinctio bona esset, si membranæ corporis humani omnes ejusdem structuræ, aut si inflammationes in diversis membranis ortæ, ejusdem naturæ essent; quod observationibus evidenter repugnat.

Investigationes anatomicorum recentiorum celeberrimorum, præprimis doctoris Soemering et Bichat, clare demonstrant, membranas corporis humani præcipuas et structura et natura functionum essentialiter inter se differre; et observationes exactiores docent, characterem inflammationum, pro diversitate membranæ in qua sedem fixerunt, longe diversum esse.

Ad hæc rectius intelligenda, ex anatomicis meminisse convenit, tres principales in corpore humano membranas distingui, inter se essentialiter differentes: membranam cellularem, membranam mucosam et membranam fibrosam.

I. *Membrana cellularis*, seu *cellulosa* (etiam serosa aut lymphatica appellata) ex tela cellulari, plus minusve condensata, oritur. Hæc membrana non solum corium seu cutem proprie sic dictam, sed etiam, pro maxima parte, organa corporis præcipua et glandulas format. Præterea cavitates corporis primarias, in cerebro sub nomine arachnoideæ, in thorace sub nomine pleuræ, in abdomine sub nomine peritonæi investit; ejusque prolongationes aut appendices in pectore mediastinum et pericardium, in abdomine omentum et mesenterium, simulque superficiem plerorumque viscerum externam, ut pulmonum, cordis, ventriculi, intestinorum, hepatis, splenis, pancreatis, renum, ureterum, vesicæ, uteri, ovariorum, nec non testiculorum (sub nomine tunicæ vaginalis) format. Hæc eadem membrana etiam superficiem cartilaginum et cavitates articulorum tegit.

II. *Membrana mucosa*, sic dicta a muco, qui in ejus superficie constanter secernitur, non solum totam superficiem corporis externam, sub nomine corporis mucosi, vel reticularis, aut retis mucosi Malpighii, sed etiam, ex hac superficie reflexa, membranam mucosam oris, narium, faucium, laryngis, tracheæ, bronchiorum, et in oculo conjuncti-

vam dictam format : dein, ex pharynge descendens, superficiem internam œsophagi, ventriculi, intestinorum, fere eodem modo ac membrana cellularis eorundem organorum superficiem externam constituit. Eadem membrana mucosa, ex superficie genitalium reflexa, membranam urethræ, vesicæ, ureterum, renum, nec non vaginæ ac uteri internam format, ubique exquisite sensibilem, ob villos aut papillas nerveas plurimas ubique intime cum ea intertextas.

In superficie corporis externa textus membranæ mucosæ magis compositus est, et præter fibrillas nerveas innumeras, ex multis vasis sanguineis et glandulis mucosis constat, quæ in corio substrato sepultæ jacent, et ductibus suis excretoriis membranam mucosam perforantes, in ejus superficie mucum copiosum constanter secernunt.

III. *Membrana fibrosa* ex fibris albis, duris, elasticis composita est. Hæ fibræ, a fibra nervosa exquisite sensibili æque ac a fibra musculari contractili et summe irritabili, essentialiter differunt, quod parum contractiles et, in statu naturali, nec sensibiles nec irritabiles sint. Hæc membrana fibrosa in extremitatibus superioribus et inferioribus non solum involucrum musculis, sub nomine fasciæ aut

tunicæ aponeuroticæ, præbet, sed et in ipsa musculorum interstitia descendit et impedit, ne fibræ musculares e sede sua facile dimoveantur. Hæc membrana præterea aponeuroses et capsulas fibrosas articulationum, sacculos, seu bursas synoviales genu æque ac coxendicis aliarumque articulationum, vaginas fibrosas tendinum, tendinesque ipsos ac ligamenta varia articulationum format. Eadem membrana fibrosa etiam tunicam splenis internam constituit, corpora cavernosa penis cingit, ventriculum, vesicam et renes circumdat, ac cerebro sub nomine duræ matris, oculis sub nomine scleroticæ, testiculis sub nomine albugineæ, ossibus sub nomine periostei involucrum præstat, et nervos musculosque ubique per totum corpus comitatur, utraque sua superficie semper cum membranis aut partibus vicinis cohærens. In ureteribus et vesica urinaria, in urethra, in vase deferente, in naribus et in ossibus, membrana fibrosa cum membrana mucosa intime intertexta, *Membranam fibroso-mucosam* constituit.

Ex hac membranarum notitia evidenter patet, divisionem inflammationum, ab auctoribus hactenus traditam, incongruam, mancam et in praxi omnino inutilem esse.

Nos ergo Phlegmasias seu inflammationes

omnes, pyrexia stipatas, rectius, ut spero, in tres sectiones dispescimus:

1°, In Phlegmasias cellulares, seu phlegmonodeas;

2°, In Phlegmasias mucosas, seu blennodes;

3°, In Phlegmasias fibrosas, seu inodes.

Hæ inflammationes demum varie inter se compositas aut complicatas esse posse quivis facile intelligit.

Inflammationes externas, sæpe sine febre apparentes, sub Cl. V ad Tumores relegavimus. Phlegmasias itaque seu inflammationes pyrexia stipatas, quæ ordinem nostrum præsentem constituunt, essentialiter et sede ratione membranæ affectæ, et methodo medendi inter se differentes dividimus:

I. *In Phlegmasias phlegmonodeas, seu cellulares,* quæ sedem suam in membrana cellulari, viscere aut glandula quacunque, habent, et plerumque cito et facile in apostema abeunt.

Quum vero membrana cellularis non solum cavitates corporis majores visceraque præcipua in iis contenta investit, sed etiam parenchyma viscerum et glandularum pro maxima parte constituit, nec non superficies articulationum variarum, ac involucrum corporis,

sub nomine corii aut tunicæ adiposæ, format, huc recte pertinent:

1°, Inflammationes membranæ arachnoideæ, pleuræ (mediastini ac pericardii), peritonei (mesenterii ac omenti), earumque appendicum aut prolongationum, quæ cerebrum, pulmones, cor, diaphragma, hepar, splenem, ventriculum, intestina, vesicam, uterum, ovaria, ac testiculos (sub nomine tunicæ vaginalis) externe tegunt.

2°, Inflammationes viscerum, aut glandularum majorum.

3°, Inflammationes cutis proprie sic dictæ.

4°, Demum inflammationes, quæ in superficie articulationum et cartilaginum, uti et in vaginis tendinum et capsulis synovialibus, utpote eadem membrana cellulari, sub nomine membranæ synovialis, vestitis contingunt.

II. *Phlegmasiæ blennodes seu mucosæ*, ita dictæ quod sedem suam in membrana mucosa habent, nunquam (nisi cum phlogosi membranæ cellularis vel glandularum complicatæ) in suppurationem abeunt; sed plerumque, præprimis si inflammatio in superficie corporis vel in canalibus aut organis cavis externe patentibus locum habet, secretione et excretione materiæ acris, limpidæ vel flavescentis, aut puriformis notabili stipantur. Hæc membrana

mucosa, ut supra notavimus, non solum superficiem corporis externam tegit, sed et ad oculos et orificia varia corporis externe patentia reflexa, superficiem internam palpebrarum, oris, narium, faucium, bronchiorum, pulmonum, œsophagi, ventriculi, intestinorum, ani, præputii, glandis, urethræ, vesicæ, ureterum, renum, nec non vaginæ ac uteri investit.

III. *Phlegmasiæ inodes seu fibrosæ* nobis audiunt, inflammationes pyrexia stipatæ, quæ sedem suam in membrana fibrosa habent, et in suppurationem nunquam abeunt. Huc itaque præcipue pertinent: 1°, Inflammationes articulorum, bursarum synovialium (vulgo sacculi seu bursæ mucosæ dictæ), ligamentorum, articulationum, vaginarum tendinum, vel tendinum ipsorum. 2°, Inflammationes fasciæ aut tunicæ aponeuroticæ dictæ carnium seu musculorum. 3°, Inflammationes periostii. 4°, Inflammationes membranæ cerebrum, sub nomine duræ matris, cingentis. 5°, Inflammationes ejusdem membranæ nervos et musculos ubique per totum corpus comitantis. 6°, Inflammationes membranæ scleroticæ oculi. 7°, Inflammationes membranæ vulgo albugineæ dictæ testiculorum. 8°, Inflammationes tunicæ splenis internæ. 9°, Inflammationes membranæ fibrosæ corpora cavernosa penis cingentis. 10°, Inflam-

mationes membranæ fibrosæ ventriculum, vesicam urinariam, ureteres, renes circumdantis. 11°, Inflammationes ejusdem membranæ in vesicula fellea, et ductu cystico vel choledocho.

Inflammationes in ossibus, naribus, vesicula fellea, ductu cystico et coledocho, in vase deferente, in urethra, vesica urinaria, ureteribus obviæ, plerumque compositæ sunt ex phlogosi mucosa et fibrosa constantes, ob membranam fibrosam ubique in his partibus cum membrana mucosa intime intertextam: hinc PHLEGMASIAE FIBROSO-MUCOSAE proprie sic dictæ (*).

PHLEGMASIAE membranæ cellularis, in genere a phlegmasiis membranæ mucosæ æque ac ab iis membranæ fibrosæ facile distinguuntur, quando partem quandam externam corporis

---

(*) Hippocrates jam phlogoses in *Phlogismata* et *Epiphlogismata*, sagaciter distinxit, et, sub prioribus inflammationes phlegmonodeas, sub posteribus inflammationes membranæ mucosæ comprehendit. Ex hoc fonte Phlegmasiæ etiam recte, 1°, in Phlogismata febrilia; 2°, in Epiphlogismata febrilia, et 3°, in Inophlogismata febrilia distingui possent. Nos hanc distinctionem intra sub *Cl. V.* secuti, Tumores inflammatorios seu Phlogoses locales in Phlogismata, Epiphlogismata et Inophlogismata distinximus.

visibilem occupant; sed, quando viscera aut partes internæ absconditæ phlogosi laborant, sæpe in praxi summe difficile est inflammationes phlegmonodeas a mucosis aut fibrosis rite distinguere.

Sequentia diagnosin hanc in genere facilitant:

1°, In phlegmasiis cellularibus dolor in parte natus, ut plurimum fixus manet, plerumque pungens vel stringens, et fere constans est sine remissione. In inflammationibus mucosis ac fibrosis dolor *sæpe* est lancinans, terebrans vel urens, locum facile mutans, ac remissionibus et exacerbationibus plerumque evidentibus notatus.

2°, In phlegmasiis cellularibus seu phlegmonodeis functiones organi vel visceris affecti plerumque magis læsæ sunt, et a suppuratione, facile et frequenter in hisce inflammationibus superveniente, longe diutius affectæ manent; in inflammationibus vero mucosis aut etiam fibrosis functiones partium plerumque cito restituuntur, et si materia albuminosa vel gelatinosa in iisdem effusa fuit, eadem plerumque brevi absorbetur.

3°, Febris cum inflammationibus phlegmonodeis juncta semper continua est, ejusdem cum inflammatione durationis. Febris e contra

phlegmasias blennodes et fibrosas concomitans vix unquam continua est, sed plerumque si non citius, saltem post triduum aut quadriduum, remittens, vel etiam intermittens evadit, præcipue postquam dolor sedem in parte fixit; imo febris tunc sæpe perfecte cessat.

4°, Urina in phlegmasiis phlegmonodeis, intense rubra vel coloris profundioris est sine sedimine : in phlegmasiis blennodeis et fibrosis e contra plerumque, jam secundo aut tertio morbi die, turbida evadit et sedimentum copiosum lateritium deponit.

5°, Cutis in phlegmasiis cellularibus, plerumque sicca ; in mucosis vero in genere humida, et ad sudorem disposita est.

6°, Phlegmasiæ phlegmonodeæ frequenter et facile in suppurationem, vel etiam in tumorem visceris durum, improprie skirrhosum dictum, abeunt; phlegmasiæ mucosæ et fibrosæ e contra vix aut nunquam in suppurationem abeunt (nisi ubi cum inflammatione membranæ cellularis complicatæ sunt), sed in genere resolutione simplici, aut transudatione materiæ albuminosæ, vel gelatinosæ terminantur. Inflammationes mucosæ quandoque etiam cito gangrænescunt.

7°, In omnibus phlegmasiis, reactione systematis cordis et arteriarum valida stipatis, sanguis

guis e vena majori, vulnere amplo, in vas cylindricum missus, mox concrescit et in superficie, aëri expositus, crustam albam, coriaceam format. Hæc crusta in phlegmasiis blennodeis seu mucosis æque ac in phlegmasiis fibrosis in genere longe tenacior et crassior est, et cruor seu pars rubra sanguinis substrata longe paucior est quam in phlegmasiis phlegmonodeis, in quibus etsi gravissimis sanguis detractus crustam phlogisticam semper minorem tenerioremque monstrat.

8° Demum, quod practico præprimis notatu necessarium est, phlegmasiæ phlegmonodes sthenopyra continua stipatæ, methodum medendi pure antiphlogisticam, evacuationes sanguinis generales vel topicas, et non raro etiam repetitas ac diætam tenuem exigunt; phlegmasiæ vero blennodes æque ac fibrosæ venæsectiones et methodum antiphlogisticam nunquam ferunt; quandoque sudorifica relaxantia, et vesicantia, raro sanguinis evacuationes topicas, poscunt, et remittente præcipue febre, plerumque usu corticis cinchonæ officinalis cito et faciliter tolluntur.

Phlegmasiae triplices mox recensitæ præterea differunt:

I. Pro diversa natura febris eas comitantis,

id est, pro reactione cordis et systematis arteriosi valida vel debili; unde

Phlegmasiæ sthenicæ, quæ valida cordis et systematis arteriosi reactione stipantur; et

Phlegmasiæ asthenicæ, in quibus pulsus frequens, debilis et symptomata debilitatis generalis cum vel sine dispositione ad gangrænam aut putredinem prævalent. Inflammationes hepatis, splenis aliorumque viscerum abdominalium sæpe asthenicæ sunt.

II. Pro ratione causæ materialis; unde,

1°, *Phlegmasiæ biliosæ*, quæ aut ex bile acri in tubo intestinali latente, vel ex eadem bile in massam sanguinis absorpta et ad viscera aliasve corporis partes delata oriuntur, vel cum phlegmasiis aliis complicantur.

2°, *Phlegmasiæ pituitosæ*, quæ a pituita tenaci in visceribus variis, præcipue in pulmonibus aut hepate impacta originem trahunt.

3°, *Phlegmasiæ metastaticæ*, quæ post inflammationem in parte primaria affecta subito disparentem, in alia sæpe longe dissita corporis parte sese manifestant.

4°, *Phlegmasiæ sympathicæ*, quæ ex irritatione in parte aliena originem suam ducunt.

5°, *Phlegmasiæ venenatæ*, quæ a venenis deglutitis, vel externe morsura, punctura aut

contactu, vel alio quocunque modo applicatis, aut etiam ex superficie interna vel externa corporis in massam sanguinis absorptis, oriuntur.

6° *Phlegmasiæ traumaticæ* a vi externa, aut a corpore extraneo infixo, vel ex vulnere, aut ex operatione chirurgica majori ortæ.

PHLEGMASIÆ COMPLICATÆ sunt :

1. *Phlegmasia phlegmonodes* cum blennode.

2. *Phlegmasia phlegmonodes* cum fibrosa.

3. *Phlegmasia blennodes* cum fibrosa.

4. *Phlegmasiæ variæ*, cum saburra primarum viarum, vel cum dyspepsia ex ingestis crudis, indigestibilibus orta.

CL. I. O. II. PHLEGMASIÆ.

SECT. I. PHLEGMASIÆ PHLEGMONODES SEU CELLULARES.

CHAR. PYREXIA primaria vel secundaria cum phlegmone seu phlogosi topica membranæ cellularis, aut visceris vel glandulæ in quacunque corporis parte interna vel externa, facile et frequenter, in apostema, quandoque etiam in gangrænam abiens.

SYN. Febres inflammatoriæ veræ.
Inflammationes veræ.
——— genuinæ.
} *Auct.*

G. XVII. ENKEPHALITIS (*).

Gr. Ἐγκεφαλῖτις, à κεφαλὴ, caput, unde ἐγκεφάλος, cerebrum: Inflammatio partium internarum capitis, cerebri, cerebelli, vel Meningum.

(*) Hic morbus qni apud græcos sub nomine phrenitidis (a φρὴν mens, φρενῖτις mentis alienatio cum febre) occurrit, mihi exactius Enkephalitis audit; præprimis quum inflammatio cerebri quandoque adest sine ulla mentis alienatione, et vice versa, mentis alienatio cum febre adesse potest sine inflammatione cerebri, ut dissectiones cadaverum frequenter docent.

Pyrexia primaria vel secundaria, plerumque cum dolore capitis plus minusve violento, et delirio aut cataphora.

SYN. Phrenitis. *Auct.*
Phrenismus. *V.*
Encephalitis. *Ploucquet.*
Cephalitis. *S.* et *Sagar.*
Sphacelismus. *L.*

A. Inflammation of the brain.
G. Phrénésie.
Ge. Entzündung des gehirns.

Variat sede:

1. In substantia cerebri.
2. In tunica cellulari (arachnoidea seu pia matre dicta).
3. In tunica fibrosa cerebrum, sub nomine duræ matris, tegente.

Sp. 1. Enkephalitis *Sthenica.*

Pulsus frequens, fortis, durus cum delirio continuo; dolor capitis vehemens, sæpe simul rubor faciei et oculorum; lucis et soni intolerantia; agrypnia. (*)

(*) Symptomata hic recensita fere semper inflammationem meningum potius quam cerebri indicant. Cerebri ipsius inflammatio rarior morbus est, sæpe sine delirio,

SYN. Phrenitis vera. *Boerhave.*
——— sanguinea. *Auct.*
Cephalalgia inflammatoria. *S.*

VARIAT pro causa remota:

α. Ab insolatione, seu radiorum solarium percussione.

β. A nimia liquorum spirituosorum ingurgitatione.

γ. A quibusdam venenis.

δ. A variis animi pathematibus (*).

ε. A tænia hydatigena seu Hydatide, aliisve vermibus in enkephalo nidulantibus (**).

---

potius symptomatibus enkephalitidis asthenicæ stipatus. Inflammatio meningum ipsa differt, prout sedem suam in membrana cellulari (arachnoidea) vel in membrana fibrosa (dura matre dicta) habet. Sed diagnosis inflammationes has rite inter se distinguendi in praxi hactenus summe difficilis, et non raro impossibilis est. Anni tempus, febris epidemica dominans, causæ occasionales prægressæ, et sectiones cadaverum filum judicandi præbent. cæterum inflammatio ipsius cerebri vel membranæ arachnoideæ facile, instar aliarum phlegmasiarum cellularium, in suppurationem abit, quod rarius in dura matre contingit.

(*) Præcipue ab amore intenso (phrenitis aphrodisiaca *Auct.*) An ex inflammatione cerebelli?

(**) Hic morbus quandoque, etsi rarius in homine, sed frequentius in equis, et maxime in ovibus observatur.

Sp. Enkephalitis *Asthenica.*

Pulsus frequens, debilis; cataphora; facies pallida; oculi collapsi, cavi; frequens et spontanea manus applicatio ad capitis partem affectam; non raro sine ullo delirio aut dolore notabili capitis. Morbus præprimis infantibus aut junioribus infestus, sæpe cito in suppurationem lethalem abiens.

Gr. Σιρίασις, siriasis, à Σιρον cavitas sincipitis.

Syn. Cephalalgia siriasis. *S.*
 Phrenitis nervosa. *Auct.*

Sp. 3. Enkephalitis *Rheumatica.*

Enkephalitis cum symptomatibus rheumatopyræ et pulsu frequente, pleno, duro, ex transpiratione suppressa, vel ex dolore rheumatico aut ex erysipelate subito retrocedente orta (***).

Syn. Phrenitis rheumatica. *Auct.*

Sp. 4. Enkephalitis *Biliosa.*

Enkephalitis symptomatibus cholepyræ, aut saburræ primarum viarum evidentibus sti-

(***) Hæc species præcipue in membrana fibrosa cerebri, vulgo dura matre dicta, sedem suam habere videtur.

pata. Post horrorem vagum calor auctus; lassitudo; kephalalgia; delirium; lingua ex albo virescens vel flava (quandoque etiam fere naturalis); pulsus frequens, subinde etiam vix acceleratus sed instar chordæ percussæ vibrans; febris plerumque vesperi exacerbans, non raro cum gnathospasmo aut cum convulsione generali, subsultu tendinum, vel tremore; hyperhidrosis; sæpe simul aversio pertinax ab omni potu; alvus sicca; urina pauca, crocea et icterodes; faciei, præcipue circa pinnas narium et commissuram labiorum oris, pallor virescens cum anorexia. Morbus æstate frequens a saburra biliosa aliave primarum viarum, aut ex bile acri in massam sanguinis absorpta et ad enkephalum delata, ortus.

Syn. Phrenitis biliosa. *Stoll.*
——— gastrica. *Auct.*

Sp. 5. Enkephalitis *Metastatica.*

Variat pro causa remota:

α. A phlogosi locali aut apostemate in aliis corporis partibus subito disparente.
β. A tumore parotidum retrocedente.
γ. Ab erysipelate vel ab arthritide rheumatica aut podagrica retrocedente.
δ. A podagra aberrante.

ε. Ab exanthematibus retropulsis vel retrocedentibus.

ζ. A psora, herpete, aliisve vitiis cutis chronicis retropulsis.

η. Ab ulcere, fonticulo, vel sudore topico habituali siccatis.

ϑ. A lochiis, menstruis, hæmorrhoidibus suppressis.

ι. Ab uroplania (*ischurica*).

κ. A galactoplania (*lactea*).

λ. A viru syphilitico ad caput translato.

μ. Ab hydrargyro in enkephalo extravasato.

ν. A trichomate incauste abscisso; vel etiam a capillis abscissis.

Sp. 6. Enkephalitis *Symptomatica* aut *Sympathica.*

Variat pro causa remota:

α. Ex abusu liquorum spirituosorum.

β. A venenis deglutitis.

γ. A vermibus intestinalibus. (*Verminosa*).

δ. A saburra primarum viarum.

ε. A morsura animalis rabidi.

ζ. A contusione violenta, vulnere, aut fractura extremitatum.

η. A seminis accumulatione in testiculis.

ϑ. A turgore, aliove vitio ovariorum vel uteri.

Sp. 7. Enkephalitis *Traumatica*.

Symptomata enkephalitidis a vi externi capiti illata.

Variat :

α. A vulnere capitis, concussione, contusione, ictu, lapsu.

β. A fractura vel fissura cranii.

γ. A festuca ossis aut alio corpore extraneo cerebro infixo.

δ. A sanguine, pure, vel sero sub cranio extravasato.

G. XVIII. PAROTITIS.

A Gr. Παρωτὶς, à παρὰ, prope, et οὖς, auris, glandula prope aurem : Inflammatio parotidis.

Pyrexia primaria vel secundaria cum calore, dolore et tumore duro glandulæ parotitis unius vel utriusque, sæpe simul et glandularum submaxillarium. Morbus quandoque epidemicus (*) et primarius, quandoque evidenter metastaticus. Tumor per quadriduum fere semper augetur; dein decrescit et dis-

(*) Parotitidem epidemicam felibus sæpe lethalem Parisiis et Londini observavi.

paret, vel in apostema (*) abit : non raro etiam tumor parotidum subito disparens in viris testiculos, in fæminis vel mammas vel vaginam petit, aut etiam cerebrum cum delirio cito lethali (**).

Syn. Cynanche parotidea *S.*
Angina externa.
Catarrhus Bellinsulanus.

A. Mumps. *Scotis* Branks.
G. Oreillons ; ourles.
Ge. Ohrendrüsen geschwulst.

Sp. 1. Parotitis *Sthenica.*

Phlogosis parotidis unius vel utriusque cum symptomatibus sthenopyræ, plerumque cito resolutione terminans, vel in suppurationem, aut etiam in tumorem durum abiens.

Sp. 2. Parotitis *Asthenica.*

Phlogosis glandulæ parotidis unius, vel

(*) *Stoll* casum notat, ubi ex tumore parotidis sponte rupto ichor copiosus, tenuis, virescens excretus lintea atro colore velut atramento, tingebat.

(**) *Dr. Hamilton*, qui de hoc morbo bene scripsit (in Philos. Transact. Edimb V. II.) hanc sedis mutationem periculosam et sæpe lethalem vesicantibus glandulæ applicatis efficaciter impediri docet.

utriusque cum symptomatibus asthenopyræ, sæpe ad gangrænam tendens; vel ad metastasin ad alias corporis partes cito lethalem prona.

Sp. 3. Parotitis *Metastatica.*

VARIAT pro causa remota:

α. A metastasi febrili critica.
β. Ab arthritide rheumatica retrocedente.
γ. Ab erysipelate retrocedente.
δ. A phlogosi in alia corporis parte subito disparente.

Huc forsan etiam referenda est:

ε. Parotitis ab usu hydrargyri incauto.
ζ. ——— a refrigerio corporis.

G. XIX. ANTIADITIS.

A Gr. Ἀντιάδες, tonsillæ: Inflammatio tonsillarum (*).

Pyrexia primaria vel secundaria cum tumore, rubore et dolore tonsillæ unius vel utriusque aut membranæ cellularis

---

(*) Sub hoc genere nonnisi inflammationem membranæ cellularis vel glandularum faucium considero. Inflammatio membranæ mucosæ faucium ad sectionem sequentem pertinet. Vide Sect. II. *Isthmitis.*

faucium, quandoque simul et glandularum submaxillarium; deglutitio et respiratio difficilis cum sensatione angustiæ in faucibus (*).

SYN. Tonsillitis. *Auct.*
Cynanche. *S. V. Sag.*
Angina inflammatoria. } *Auct.*
Angina tonsillaris. }

A. Inflammatory sorethroat.
G. Mal de gorge; esquinancie.
Ge. Halsweh; Halsentzündung.

Sp. 1. Antiaditis *Sthenica.*

Phlogosis tonsillarum, sæpe simul et glandularum submaxillarium aut musculorum adjacentium, plerumque cito in suppurationem abiens, cum pulsu frequenti, pleno, forti, aut duro; frequenter kephalalgia violenta; facies rubra, tumida; dyscataposia; sensus suffocationis ex respiratione impedita.

Sp. 2. Antiaditis *Asthenica.*

Phlogosis tonsillarum, sæpe cum sensu ar-

(*) Antiaditis seu tonsillitis sæpe epidemica, non raro etiam cum inflammatione membranæ mucossæ faucium complicata, occurrit.

doris in faucibus, facile in ulcera et gangrænam abiens cum pulsu frequenti, debili.

Variant pro causa remota:

α. A refrigerio.
β. A fervidis aut corrosivis deglutitis.
γ. A substantia acri quacunque, mechanice vel chemice irritante, deglutita.
δ. A miasmate acri cum aëre applicato.
ε. Ab miasmate varioloso vel scarlatinoso.
ζ. Ab exanthematibus aut morbis cutis chronicis retropulsis.
η. Ab arthritide rheumatica aut erysipelate retrocedente.
ϑ. A metastasi febrili.
ι. Ab evacuationibus sanguineis consuetis retentis.
κ. A saburra primarum viarum.

Sp. Antiaditis *Syphilitica.*

Tumor, rubor et plerumque ulceratio tonsillarum aut veli penduli, sæpe sine febre vel dolore notabili. Inflammatio potius chronica, ulcerosa a viru syphilitico tonsillas, velum pendulum aut fauces corrodente, orta.

Syn. Angina syphilitica. } *Auct.*
——— venerea.

Sp. 4. Antiaditis *Hydrargyrica.*

Phlogosis glandularum faucium cum ptyalismo aut screatu salivæ et muci copioso et constanti, sæpe cum ulceribus tonsillarum, veli penduli, pharyngis, linguæ aut oris interni.

G. XX. PNEUMONITIS.

A Gr. Πνεύμων, pulmo : Inflammatio pulmonum.

Pyrexia primaria vel secundaria cum dolore obtuso, rarius acuto, in interiore thoracis; respiratio difficilis; tussis frequens.

SYN. Peripneumonia (gr. περιπνευμονία) *Auct.*
Pneumonia. *Cull.*
Febris pneumonica. *Fr. Hoffm.*
Pulmonia.

A. Inflammation of the lungs; peripneumony.

G. Peripneumonie; inflammation des poumons. (*Vulgo* et *absurde* fluxion de poitrine).

Ge. Lungenentzündung.

Variat sede :

1. In substantia pulmonum.
2. In glandulis pulmonum.

3. In membrana cellulari, superficiem pulmonum versus cavum thoracis tegente.

4. In membrana mucosa bronchia et superficiem pulmonum internam investiente (*).

Sp. 1. Pneumonitis *Sthenica.*

Pneumonitis cum symptomatibus sthenopyræ ac pulsu frequente, quandoque duro, quandoque etiam molli, apparenter debili; dolor in interiore thoracis, vel fixus, vel per scapulam, claviculam, aut sternum migrans, lancinans, cum sensu anxietatis et ponderis in pectore; respiratio difficilis, laboriosa, sæpe nonnisi trunco corporis erecto perficienda; faciei tumor et rubor purpureus; tussis frequens quandoque sicca, sæpius humida; sputa mucosa, cruenta vel striis sanguineis notata. Morbus sæpe in aposthema et ulcus, vel etiam in vomicam aut empyema abiens.

Syn. Peripneumonia essentialis. *Sydenh.*

——————— vera seu sanguinea. *Auct.*

Sp. 2. Pneumonitis *Asthenica.*

Pneumonitis cum symptomatibus asthenopyræ, vel septorrhepyræ.

(*) Hæc membranæ pulmonum mucosæ inflammatio proprie ad Sect. II Phlegmasiarum pertinet. Vide *Catarrhus.*

Syn.

SYN. Peripneumonia typhodes. } Auct.
——— putrida.
——— maligna.

VARIANT pro causa remota:

α. A frigore violento.
β. Ab exercitio organorum respirationis intenso.
γ. A sputis suppressis.
δ. Ab evacuationibus sanguinis consuetis suppressis.
ε. A miasmate, venenis, aliisve vaporibus acribus inspiratis.

Sp. 3. Pneumonitis *Pituitosa.*

Pneumonitis symptomatibus phlegmapyræ cum pulsu frequenti, pleno, et molli, vel parvo et debili, stipata: dyspnœa; tussis sicca, dolorifica, quandoque sibilosa, sæpe etiam humida; faciei tumor et kephalalgia ex tussi aucta; sensus plenitudinis in capite ita, ut æger corpus movere non audeat sine metu apoplexiæ; urina rubra, turbida; sputa initio tenacia, pituitosa, progressu morbi tenuiora flavescentia. Morbus maxime senioribus, siccis, vel etiam phlegmaticis aut atrabilariis, otio et gulæ deditis, præcipue autumno et hyeme, infestus.

Syn. Peripneumonia notha seu spuria. } Auct.
__________ typhodes.
__________ phlegmatica.
__________ atrabilaria.

Sp. 4. Pneumonitis *Metastatica.*

Variat pro causa remota:

α. A metastasi febrili.
β. Ab exanthematibus retrocedentibus.
γ. Ab arthritide rheumatica, vel podagrica retrocedente.
δ. Ab erysipelate repulso.
ε. A podagra aberrante.
ζ. A galactoplania.
η. A morbis cutis chronicis suppressis.
ϑ. Ab ulceribus, aut sudore topico præpostere siccatis.

Sp. 5. Pneumonitis *Traumatica.*

Symptomata pneumonitidis, post ictum, lapsum, contusionem, concussionem aut vulnus inflictum orta.

Variat pro causa remota:

α. A vulnere, concussione, aliave vi externa illata.
β. A luxatione costarum vel vertebrarum dorsi.

γ. A fractura costarum, aliorumve ossium thoracis.
δ. Ab exostosi.

Sp. 5. Pneumonitis *Rheumatica.*

Vide infra sub SECT. II, G. *CATHARRHUS.*

Sp. 6. Pneumonitis *Sympathica.*

SYN. Pneumonitis Gastrica. *Auct.*

VARIAT pro causa remota:

α. A saburra biliosa, putrida.
β. Ab ingestis crudis, indigestibilibus.
γ. A vermibus. (*Verminosa.*)
δ. A venenis assumptis.
ε. Ab hydrophobia.

G. XXI. PLEURITIS.

Gr. Πλευρῖτις à πλευραὶ, costæ, seu πλευρὰ, membrana costas et cavum thoracis internum cingens: Inflammatio pleuræ (*).

(*) Pleura est membrana cellularis cavum thoracis internum æque ac superficiem pulmonum externam investiens. Hæc eadem membrana prolongationibus aut appendicibus suis non solum superficiem diaphragmatis versus thoracem spectantis, sed etiam Mediastinum et Pericardium format. Hinc patet, inflammationes harum membranarum nonnisi sede inter se differre, et pleuritidem proprie sic dictam sæpe cum pneumonitide, diaphragmatitide etc. confundi aut complicari.

Pyrexia primaria vel secundaria, cum dolore lateris punctorio, sub inspiratione aucto; inspiratio summe difficilis; tussis dolentissima, initio sicca, postea humida, sæpe cruenta. In morbo graviore respiratio sæpe solo diaphragmate perficitur absque elevatione thoracis, ut ex denudato pectore apparet (*).

SYN. Febris pleuritica et pneumonica. *F. Hoff.* Passio pleuritica. *Cœlii Aurel.*

A. Pleurisy; inflammation of the pleura.
G. Pleurésie; point de côté.
Ge. Seitenstich; Seitenstechen.

VARIAT sede:

α. In pleura proprie sic dicta (*Pleuritis*).
β. In pleura superficiem pulmonis tegente (Pleuro-pneumonitis).
γ. In mediastino (Mediastinitis).
δ. In pericardio (Pericarditis).

(*) In inflammatione mediastini dolor sæpe lancinans sub sterno, aut pectus transversim percurrens observatur cum reliquis pleuritidis vel pneumonitidis symptomatibus. Symptomata pericardii inflammati plerumque eadem sunt ac carditidis. Vid. *Carditis*.

ε. In diaphragmatis superficie thoracica (Diaphragmatitis (*).

Variat pro causa remota, ut Pneumonitis.

Sp. 1. Pleuritis *Sthenica.*

Pleuritis cum symptomatibus sthenopyræ, sæpe in apostema abiens, aut etiam extravasatione materiæ albuminosæ inter pulmones et pleuram, vel inter pleuram et musculos intercostales, vel inter laminas mediastini, terminans. Morbus præcipue hyeme rigido frequens (**).

Syn. Pleuritis phlegmonodes.
——— vera, seu essentialis.
——— pura. *Auct.*
——— inflammatoria.
——— sanguinea. *Hipp.*

Sp. 2. Pleuritis *Asthenica.*

Pleuritis cum symptomatibus asthenopyræ vel septorrhepyræ juncta.

(*) In pleuritide dorsali dolor in dorso sentitur e respiratio sæpe singultuosa est. *Hipp.*

(**) Pleuritis sicca *Hipp.*, seu convulsiva *Bianchi*, nonnisi a violentiori inflammationis gradu dependere videtur. Pleuritis hepatica, splenica, gastrica *Auct.*, non ad pleuritidem, sed ad inflammationes horum viscerum pertinent.

Syn. Pleuritis putrida. } *Auct.*
——— maligna. }

Sp. 3. Pleuritis *Rheumatica.*

Pleuritis cum symptomatibus rheumapyræ; dolor lateris, quandoque migrans, late extensus, pressione partis affectæ aut etiam musculorum intercostalium, auctus.

Syn. Pleuritis notha *s.* spuria. *Auct.*

Sp. 4. Pleuritis *Biliosa.*

Pleuritis cum symptomatibus cholepyræ, et tussi stomachica pressione epigastrii aucta, præcipue æstate frequens.

Sp. 5. Pleuritis *Metastatica.*

Variat ut Pneumonitis metastatica.

Sp. 6. Pleuritis *Chronica.*

Symptomata pleuritidis cum symptomatibus phthiseos pituitosæ juncta.

Sp. 7. Pleuritis *Periodica.*

Pleuritis periodice recurrens cum symptomatibus dialeipyræ quotidianæ, tertianæ vel quartanæ. Vid. *Dialeipyra irregularis.*

Sp. 8. Pleuritis *Traumatica.*

Variat ut Pneumonitis traumatica.

G. XXI. CARDITIS.—PERICARDITIS.

A Gr. Καρδῖτις, a καρδία, cor. Περικαρδῖτις, a περὶ, circum et καρδία: Inflammatio cordis vel membranæ cellularis cor instar sacci, sub nomine pericardii, undique circumdantis.

Dolor in regione cordis vel sub sterno; anxietas; respiratio difficilis; palpitatio; syncope; pulsus frequens, inæqualis, intermittens; tussis, sæpe cum dolore abdominis aut vomitu rebelli juncta.

G. XXIII. DIAPHRAGMATITIS.

A Gr. Διάφραγμα, septum transversum: Inflammatio diaphragmatis.

Pyrexia primaria vel secundaria; dolor circa regionem costarum verarum inferiorum, quasi ex chorda tensa constringente; respiratio, alternata solum elevatione costarum et situ trunci erecto peracta; sæpe cum delirio et spasmo musculorum angulorum oris, risum foedum, veteribus *sardonicum* dictum, simulante (*).

(*) Morbus præprimis equis et canibus ex violento exercitio frequens et cito lethalis.

Syn. Paraphrenitis. *Boerh.*
Paraphrenesis. *S.*

Variat *pro causa remota, ut Pleuritis, Hepatitis etc.* (*).

G. XXIV. PERITONITIS.

A Gr. Περιτόναιον, membrana ventrem interne circumdans : Inflammatio peritonæi, ejusque appendicum aut prolongationum sub nomine omenti et mesenterii notarum.

Pyrexia primaria vel secundaria cum dolore totius peripheriæ abdominis, situ corporis erecto aut pressione aucto, sine signis inflammationis aliorum viscerum abdominalium.

Variat sede :

α. In peritonæo proprie sic dicto (Peritonitis).
β. In omento (Omentitis seu Epiploitis).

(*) Ut pleura superficiem diaphragmatis cavum thoracis spectantem, sic peritonæum superficiem ejus inferiorem abdomini observam tegit; hinc et ex vicinia viscerum diversorum fit, ut diaphragmatitis sæpe cum pneumonitide, pleuritide, hepatitide, splenitide, aut gastritide confundatur; unde etiam paraphrenitis hepatica, gastrica, pleuritica etc. *Auctorum.*

γ. In Mesenterio (Mesenteritis).

δ. In superficie diaphragmatis abdominali.

Sp. 1. Peritonitis *Sthenica.*

Inflammatio peritonæi, omenti, vel mesenterii, cum symptomatibus sthenopyræ.

Sp. 2. Peritonitis *Asthenica.*

Inflammatio peritonæi, omenti vel mesenterii cum symptomatibus asthenopyræ vel septorrhepyræ. Pulsus frequens a 120 ad 130 in minuto, parvus, debilis; æstus et sitis vehemens; abdomen tensum, dolorificum; magna virium prostratio. Morbus sæpe cum symptomatibus saburræ primarum viarum, delirio, convulsionibus, suppressione lochiorum aut lactis, stipatus, puerperis præcipue infestus, et ad finem, accedentibus signis tympanitidis, sæpe in gangrænam lethalem abiens, etsi puerpera cæterum melius habere videatur.

SYN. Febris puerperalis. *Auct.*

VARIAT pro causa remota, ut Pleuritis, Enteritis etc.

Huc recte pertinet:

Mesenteritis *Scrofulosa.*

Tensio, dolor et tumor abdominis chronicus cum febricula et emaciatione corporis, per

plures septimanas aut etiam menses continuans, præcipue in junioribus scrofulosis, exito sæpe funesto.

SYN. Febris mesenterica. *Darwin.*
Inflammatio mesenterii chronica *s.* atonica. *Auct.*

G. XXV. GASTRITIS.

A Gr. Γαστὴρ, ventriculus: Inflammatio ventriculi.

Ardor et dolor in regione ventriculi, ab ingestis quibusvis vel etiam levi pressione externa auctus; anxietas; singultus; nausea et vomitus plerumque rebellis (rarius nullus), cum pulsu frequente molli, aut debili et summa virium prostratione. Morbus nisi mox ab initio potenter levatus, plerumque cito lethalis. (*).

SYN. Febris stomachica inflammatoria *F. Hoff.*
A. Inflammation of the stomach.
G. Inflammation de l'estomac.
Ge. Magenentzündung.

(*) In gastritide non semper vomitum nec singultum, ut in enteritide non semper alvi constipationem adesse in praxi non raro observamus.

Variat sede:

α. In membrana cellulari ventriculi superficiem externam, cavum ventris spectantem, tegente (Gastrititis phlegmonodes).

β. In membrana ventriculi interna mucosa (Gastritis blennodes) (*).

γ. In membrana ventriculi fibrosa (Gastritis inodes.

Sp. 1. Gastritis *Saburralis.*

VARIAT pro causa remota:

α. Ab ingluvie aut nimia distensione ventriculi.

β. Ab ingestis indigestibilibus, acribus, ventriculum acrimonia, mole aut duritie sua irritantibus.

γ. A potu frigido, æstuante corpore, hausto.

δ. A bile flava acri in ventriculum regurgitante.

(*) Inflammationem ventriculi cellularem, mucosam et fibrosam inter se distinguere, utplurimum perdifficile, sed in praxi fere inutile est, cum gastritis omnis raro, nisi forsan in primo morbi exordio, medicamenta interna ulla ferat. Interim gastritis blennodes plerumque mitior morbus ex ingestis acribus, vel venenis deglutitis, aut ex frigida æstuante corpore hausta oritur, quandoque sine ulla febre concomitante; sed cum erythemate faciei et subinde cum rubore in faucibus juncta.

ε. A bile nigra acri aut a sanguine corrupto nigro in ventriculum effuso.

ζ. A miasmate acri quocunque cum saliva deglutito, ut præcipue in quibusdam febribus observamus.

Sp. 2. Gastritis *Venenata.*

Sp. 3. Gastritis *Metastatica.*

VARIAT pro causa remota :

1. Ab exanthematibus, aut morbis cutis chronicis retrocedentibus.
2. Ab arthritide rheumatica vel podagrica retrocedente.
3. Ab erysipelate retrocedente.
4. A podagra aberrante.

Sp. 4. Gastritis *Verminosa.*

A vermibus in ventriculo nidulantibus.

Sp. 5. Gastritis *Traumatica.*

A vulnere, ictu aut contusione violenta ventriculi orta.

G. XXVI. ENTERITIS.

Gr. Ἐντερῖτις ab ἔντερον, intestinum : Inflammatio intestinorum.

Pyrexia primaria vel secundaria cum pulsu frequente, quandoque forti, sup-

presso vel duro, quandoque molli, sed plerumque parvo, contracto et duro; dolor in quadam parte abdominis (prout vel intestinum duodenum, jejunum, ileum, cæcum, colon aut rectum afficiuntur) varians, sæpe summe acutus, plerumque circa umbilicum torquens, quandoque per totum abdomen quasi extensus; pneumatosis; alvus pertinaciter adstricta: Initio morbi nausea, vomituritio et vomitus ingestorum, deinde etiam fæcum. Quandoque sensatio caloris intensi; pallor cutis et contractio vasorum cutaneorum; lingua crusta densa, fusca tecta; kephalalgia; delirium. Morbus sæpe cito in gangrænam lethalem, vel etiam in apostema et ulcus abiens.

Syn. Febris intestin. inflammatoria. *F. Hoffm.*

A. Inflammation of the bowels or intestines.
G. Inflammation des intestins.
Ge. Gedærmentzündung.

Variat sede ut gastritis:

α. In membrana cellulari (Enteritis phlegmonodes.)

β. In membrana mucosa (Enteritis blennodes).
γ. In membrana fibrosa (Enteritis inodes) (*).

Sp. 1. Enteritis *Sthenica.*

Symptomata enteritidis cum pulsu frequenti, plerumque parvo, contracto, suppresso; quandoque etiam pleno, forti et duro.

Sp. 2. Enteritis *Asthenica.*

Enteritis cum symptomatibus asthenopyræ, vel septorrhepyræ, præcipue puerperis infesta, et tunc frequenter cum inflammatione peritonæi, omenti, mesenterii, vel uteri complicata.

SYN. Enteritis putrida. }
——— typhodes. } *Auct.*
Febris puerperalis. }

(*) Has inflammationes inter se distinguere æque difficile est, ac easdem ventriculum occupantes; plerumque tamen in gastritide æque, ac enteritide blennode symptomata mitiora sunt et diutius protracta, quam in gastritide aut enteritide phlegmonode. Præterea si enteritis blennodes ileum aut intestina crassa occupat, excretione muci vel sanguinis, aliisve signis dysenteriæ stipatur, et tunc ad Sect. sequentem recte pertinet. Cæterum enteritis probe etiam distinguenda est ab inflammatione hepatis, ductus choledochi, renum, ureterum, nec non a dolore spasmodico intestinorum ipsorum non inflammatorio, de quibus vide infra *Algemata.*

Hæ species variant pro causa remota:

α. A refrigerio.

β. Ab ingestis acribus, indigestibilibus.

γ. A substantiis duris, canalem intestinalem mechanice irritantibus: ossibus, calculo, nucleis, acubus etc. deglutitis.

δ. A venenis variis assumptis (*Venenata*).

ε. A vermibus (*Verminosa*).

ζ. A saburra acri putrida.

η. A fæcibus accumulatis.

ϑ. A pure, ichore, bile atra, aliisve humoribus acribus ex massa sanguinis, vel ex visceribus aliis abdominis in canalem intestinalem translatis, effusis.

ι. A sanguine subito post partum, aut post paracentesin, in vasa abdominalia irruente.

Sp. 3. Enteritis ***Metastatica.***

Variat:

α. A metastasi febrili.

β. A metastasi lactea.

γ. A podagra aberrante.

δ. Ab arthritide rheumatica vel podagrica retrocedente.

ε. Ab erysipelate retrocedente.

ζ. Ab exanthematibus, aut morbis cutis chronicis retrocedentibus.

η. Ab ulcere, fonticulo, vel sudore topico incaute siccatis.

ϑ. Ab evacuationibus sanguinis, lochiis, menstruis, hæmorrhoidibus, etc. suppressis.

Sp. 4. Enteritis *Biliosa.*

Enteritis cum symptomatibus cholepyræ, a bile flava, acrimonia aut copia majore, intestina irritante orta.

Sp. 5. Enteritis *Spasmodica* (*).

VARIAT:

α. A Flatibus.

β. Ab animi pathematibus.

γ. A calculo felleo in ductu choledocho aut in ejus orificio ad duodenum impacto.

Sp. 6. Enteritis *Stenotica.*

VARIAT pro causa remota:

α. Ab hernia umbilicali, inguinali, foraminis ovalis etc. incarcerata.

(*) Spasmus fibrarum intestinorum circularium quandoque, ut crampus musculorum gastrocnemiorum, paucis tantum minutis durat, sed quandoque etiam violentior per duos aut tres dies continuat cum summo in parte affecta dolore, pulsu frequenti ad 120 per minutum aucto, magna virium prostratione, apepsia, dyspnoea, et functionum corporis fere omnium læsione, sæpe cito, imo quandoque intra paucas horas lethalis.

β. A chordapsu, coarctatione vel contractione portionis intestini.

γ. A volvulo aut introsusceptione portionis intestini in aliud.

δ. A calculo intestinorum.

ε. A corporibus extraneis ingestis, canalem intestinalem obstruentibus.

ζ. Ab adstringentibus assumptis.

η. A præparatis plumbi, præcipue cum vino, aqua etc. sæpe inscie assumptis.

ϑ. A fæcibus induratis, concretis.

ι. A vermibus, pituita.

κ. A tumoribus in substantia intestinorum natis.

λ. A tumoribus vicinis, intestina comprimentibus.

μ. A concretione laterum canalis intestinalis.

Sp. 7. Enteritis *Traumatica.*

Variat:

α. A vulnere, dilaceratione intestinorum.

β. A concussione, contusione, compressione violenta intestinorum.

G. XXVII. HEPATITIS.

A Gr. Ἧπαρ, hepar, jecur: Inflammatio Hepatis.

Pyrexia primaria vel secundaria; tensio et dolor in hypochondrio dextro,

pressione auctus, quandoque gravativus, obtusus, quandoque pleuritici instar punctorius, sæpe ad claviculam et summum humeri dextri extendens; decubitus in latus sinistrum difficilis; dyspnœa; tussis sicca, profunda; alvus adstricta, dura, albescens, grisea, quandoque etiam libera, biliosa; accedente non raro vomitu, singultu.

A. Inflammation of the liver.
G. Inflammation du foie.
Ge. Leberentzündung.

Variat sede:

1. In ipso hepate.
2. In membranis hepar cingentibus.
3. In vesicula fellea.
4. In ductu cystico, hepatico, vel choledocho.

Sp. 1. Hepatitis *Sthenica*.

Hepatitis cum symptomatibus sthenopyræ.

Sp. 2. Hepatitis *Asthenica*.

Hepatitis cum symptomatibus asthenopyræ vel septorrhepyræ juncta.

Syn. Hepatitis putrida. ⎫
——— typhodes. ⎬ *Auct.*
——— maligna. ⎭

VARIANT pro causa remota:

α. A calore intenso atmosphæræ.
β. A frigore.
γ. A bile acrimonia sua vel copia irritante.
δ. A suppresso fluxu hæmorrhoidali.
ε. A calculis biliosis. Vide *Cholelithiasis.*
ζ. Ab animi pathematibus violentis.
η. A vulnere, contusione, concussione aliave vi externa hepati, vel capiti illata.
ϑ. A vermibus in hepate (rarior in homine, frequens equorum, boum, ovium morbus).

Sp. 3. Hepatitis *Chronica.*

Post symptomata hepatitidis acutæ, quandoque etiam sine febre aut sine dolore violento prægressis, sensatio plenitudinis et gravitatis in hypochondrio dextro; dolor ex pressione, et decubitu in latus sinistrum auctus. Morbus Zonæ torridæ frequens, a bile acri copiosa in hepate stagnante ortus, sæpe in apostema hepatis lethale terminans.

Sp. 4. Hepatitis *Pituitosa.*

Hepatitis cum sympotomatibus phlegmapyræ.

Sp. 5. Hepatitis *Spasmodica.*

Pyrexia cum dolore acutissimo in regione vesiculæ felleæ vel in epigastrio, plerumque cum symptomatibus icteri, alvo adstricta, fæcibus duris, griseis, albicantibus; urina profunde rubra, crocea, turbida. Morbus ex calculo in ductu cystico vel choledocho, aut in ejusdem orificio ad intestinum duodenum impacto, irritante ortus. Vide *Cholelithiasis.*

Sp. 6. Hepatitis *Metastatica.*

VARIAT:

α. Ab arthritide rheumatica vel podagrica retrocedente.

β. Ab erysipelate, exanthematibus, vel morbis cutis chronicis suppressis.

γ. A podagra aberrante.

δ. A galactoplania.

G. XXVIII. SPLENITIS.

A Gr. Σπλὴν, splen, lien: Inflammatio splenis seu lienis.

Pyrexia primaria vel secundaria; tensio, calor et tumor hypochondrii sinistri, præcipue in regione lienis; dolor utplurimum obtusus, pressione visceris auctus.

SYN. Inflammatio lienis. } *Auct.*
Lienitis.

A. Inflammation of the milt.

G. ———— de la rate.

Ge. Milzentzündung.

Sp. 1. Splenitis *Sthenica.*

Dolor in regione splenis, cum symptomatibus sthenopyræ; sæpe in tumorem durum, rarius in apostema abiens.

SYN. Pleuritis splenica. *S.*
Splenalgia suppuratoria. *S.*

Sp. 2. Splenitis *Chronica.*

Tumor et dolor in regione splenis, cum pulsu frequenti, debili, sæpe etiam vix accelerato. Morbus plerumque ex dialeipyra prægressa, ex vita sedentaria, aut animi pathematibus tristibus ortus.

G. XXIX. PANCREATITIS.

A Gr. Πάγκρεας, glandula magna sub ventriculo sita, *Pancreas* dicta: Inflammatio pancreatis seu glandulæ pancreaticæ.

Pyrexia primaria vel secundaria (*), cum dolore sæpe punctorio in hypo-

(*) Hæc inflammatio pancreatis sæpe sine ulla febre locum habet; plerumque etiam cum splenitide, gastritide,

chondrio sinistro sub ventriculo, alte versus dorsum extendente; nausea, vomitus; anxietas et sensatio constrictionis in epigastrio; alvus non raro adstricta. Morbus sæpe in tumorem durum, apostema, ulcus, aut in gangrænam abiens.

G. XXX. NEPHRITIS.

A Gr. Νεφροὶ, renes: Inflammatio renis unius vel utriusque.

Pyrexia primaria vel secundaria cum dolore continuo in regione renum; sæpe simul tormina ventris; vomitus et consstipatio; urina intense rubra, vel decolor; dysura, vel ischuria.

SYN. Nephritis vera. *Auct.*

A. Inflammation of the kidneys.
G. ——————— des reins.
Ge. Nierenentzündung.

Variat sede:

α. In rene ipso aut membrana cellulari eum externe tegente. (*Nephritis phlegmonodes*).

---

mesenteritide etc. confunditur. Pancreatis tumor durus et magnus, quandoque ex dialeipyra neglecta aut male tractata oriri observatur.

β. In membrana renis interna seu mucosa. (*Nephritis blennodes*).

γ. In membrana ejusdem fibrosa. (*Nephritis inodes*).

Sp. 1. Nephritis *Sthenica.*

Sthenopyra cum dolore in dorso prope articulationem costarum spuriarum acuto vel obtuso; febris cum pulsu frequenti, duro; quandoque ex vehementia doloris pulsus parvus, intermittens cum frigore extremitatum; nausea, vomitus; syncope; delirium, et convulsiones (*).

VARIAT pro causa remota:

α. A vulnere, aut contusione renum.

β. A lytta vesicatoria, aliisve substantiis acribus aut venenis assumptis et ad renes delatis.

γ. A vesicantibus externe applicatis.

δ. Ab exercitio violento, præcipue equitatione.

ε. A distorsione musculorum dorsi renibus incumbentium.

Sp. 2. Nephritis *Metastatica.*

VARIAT:

α. A morbis cutaneis suppressis.

(*) Quandoque in hac nephritidis specie apparet zoster in regione renis affecti.

β. A podagra aberrante.
γ. A galactoplania.

Sp. 3. Nephritis *Calculosa.*

Febris; dolor acutus vel obtusus in regione renis, sæpe ureteris iter sequens; mictio frequens urinæ paucæ, tenuis, decoloris, vel intense rubræ, cum dolore et ardore; quandoque suppressio urinæ completa; vomitus continuus; stupor cruris et testiculi ejusdem lateris retractio aut dolor; præprimis ex calculo, aut sabulo grossiori in tubulis renalibus, vel pelvi renum, aut in uretere impacto (**). Morbus sæpe in tumorem renis ingentem, aut apostema abiens.

SYN. Nephralgia calculosa vel arenosa. *S.*
——— purulenta. *S.* et *Cheston.*
——— arthritica.

G. XXXI. OSPHYTIS.

A Gr. Ὀσφὺς, lumbus, coxa: Inflammatio membranæ cellularis lumborum aut coxæ.

(**) Calculi humani renum vel vesicæ plerumque ex acido urico, vel ex phosphate calcis, vel ex oxalate calcis, aut ex phosphate ammoniacæ, et ex substantia animali glutinosa constant. Acidi urici existentia in calculis humanis a *Scheele* primo detecta fuit, sed analysin calculorum exactam præprimis chemicis illustribus *Fourcroy* et *Vauquelin* debemus. Vide Cl. IV. O. VII. G. *Urolithiasis.*

Pyrexia primaria vel secundaria; dolor plerumque sub osse sacro aut in coxa tensivus, terebrans, vel lancinans, pressione aut ligatura auctus, situm corporis erectum æque ac ingressum impediens, quandoque ad humerum usque, vel etiam ad vesicam aut ad artus inferiores extendens. Morbus utplurimum debilitate aut stupore artuum inferiorum, vel etiam enteralgia, tenesmo, dysuria aut ischuria stipatus, sæpe in suppurationem, ulcus, aut cariem ossis abiens.

SYN. Arthropuosis. *Cull.*
Morbus coxarius inflammatorius. *Auct.*
Lumbago sensitiva. *Darwin.*
Inflammatio membranæ cellularis sub musculo psoa sitæ. G. *Fordyce.*

Sp. 1. Osphytis *Phlegmonodes.*

Osphytis cum symptomatibus sthenopyræ.

Variat sede :

1. In membrana cellulari sub musculo psoa sita.
2. In membrana cellulari vaginas tendinum,

musculos, aut ligamenta lumborum investiente.

3. In glandula coxæ vel in membrana cellulari, cavum acetabuli aut capsulam synovialem coxæ tegente (*).

Variat pro causa remota:

α. A vi externa: Vulnere, contusione, lapsu, nisu violento aut distorsione.

β. A luxatione.

γ. A refrigerio, præcipue a frigore corpori post exercitium violentum æstuanti, admisso.

δ. A partu laborioso.

ε. A calculo renum vel ureterum.

ζ. A metastasi febrili.

η. A galactoplania.

θ. Ab arthritide rheumatica aut podagrica, vel ab erysipelate retrocedente.

ι. Ab evacuationibus sanguineis consuetis suppressis.

Sp. 2. Osphytis *Suppurans.*

Post symptomata osphytidis phlegmonodeæ prægressa horripilationes irregulares, febris hectica, dolor in lumbis aut in coxa continuans, pulsatorius, tensivus, lancinans, motum omnem trunci, aut extremitatum infe-

(*) Osphytis fibrosa si diagnosis ejus patet, ad Sect. III. Phlegmasiarum pertinet.

riorum impediens, ita ut æger nec corpus erigere aut antrorsum vertere, nec femora levare aut extrorsum vertere possit, nisi lentissime et post plures nisus successivos. Apostemate rupto pus formatum vel in cavum abdominis effunditur, exitu plerumque lethali; vel tumor fluctuans oritur ad latera vertebrarum inferiorum dorsi, aut in perinæo, inguine vel ano (*). Sede morbi in coxa fixa, tumor ibidem, vel etiam in femoris parte interna formatur, qui sibi relictus tandem sponte rumpitur et pus copiosum fundit, ægro interea misere marcessente; quandoque portio puris cum urinis excernitur: sæpe simul ossium subjacentium caries oritur, ac pedum tumor, qui non raro ab ignaris pro podagrico habetur (**).

KYSTITIS.

Inflammatio membranæ cellularis superficiem vesicæ, abdomen spectantem, tegentis. Vide infra sub Sect. II.

(*) Tumores hi practico probe distinguendi sunt a calculo renum vel ureterum, a tumore venarum hæmorrhoidalium, a fistula ani, a tumore glandulæ inguinalis, ab hernia, aut a luxatione femoris.

(**) Quandoque hic morbus cum nephritide, vel cum tumore in pelvi nato, aut etiam, præcipue in puerperis, cum peritonitide complicatur.

G. XXXII. ORCHITIS.

A. Gr. Ὄρχις, testiculus: Inflammatio testiculi.

Pyrexia primaria vel secundaria cum tumore et dolore, plerumque gravativo aut tensivo testiculi unius vel utriusque. (*)

Syn. Hernia humoralis. *Auct.*

A. Inflammation of the testicles.
G. ———— des testicules.
Ge. Hodenentzündung.

Variat sede:

α. In vasis spermaticis seu substantia testiculi.
β. In membrana cellulari, seu vaginali dicta.
γ. In membrana fibrosa seu albuginea testiculi. (**)

Sp. 1. Orchitis *Sthenica.*

Orchitis cum reactione cordis et systematis arteriosi valida juncta, sæpe in apostema abiens.

Variat pro causa remota:

α. A vulnere, contusione, compressione, aliave vi externa illata.

(*) *Golding* orchitidem epidemicam observavit. Vide *Medical facts and Observations*, vol. VII.

(**) Orchitis fibrosa, si diagnosis ejus patet, ad Sec. III. Phlegmasiarum pertinet.

β. A seminis accumulati retentione, præcipue ex obstructione aut ex compressione, vel concretione ductuum excretoriorum vesicularum seminalium in urethra, ex ulcere prægresso.

Sp. 2. Orchitis *Metastatica.*

Variat:

α. Ab arthritide rheumatica vel podagrica retrocedente.
β. A parotitide retrocedente.
γ. Ab erysipelate retrocedente.
δ. A podagra aberrante.

Sp. 3. Orchitis *Sympathica.*

Variat:

α. A viru syphilitico aliove acri caput gallinaginis fortiter irritante, præprimis ex blennorrhagia urethrali suppressa.
β. A stenosi urethræ.
γ. A cerebello affecto.

Sp. 4. Orchitis *Scrofulosa.*

G. XXXIII. OVARITIS. (*)

Inflammatio ovarii unius vel utriusque.

(*) Ovaria græcis testiculi fœminei audiunt, hinc pro denominatione hujus generis nomen latinum adhibui.

Tumor rotundus, circumscriptus ad latus unum vel utrumque uteri, quandoque immensæ magnitudinis, cum dolore obtuso pressione aucto, et sæpe pyrexia primaria vel secundaria stipatus.

Vid. etiam infra Cl. V. *Tumores*, G. *Ovarioncus*.

Variat pro causa remota :

α. A vulnere, contusione, aliave vi externa illata.

β. A compressione, ex tumore uteri gravidi vel situ ejus abnormi.

γ. A menstruis suppressis.

δ. A defectu coitus.

ε. A cerebello affecto.

G. XXXIV. HYSTERITIS.

Gr. Ὑστερίτις, ab ὑστέρα, unde nomen latinum uterus : Inflammatio uteri.

Pyrexia primaria vel secundaria ; tumor, et dolor in hypogastrio pressione auctus, sæpe tensivus potius quam acutus ; os uteri tactu dolens ; nausea, vomitus, plerumque cum dysuria vel ischuria, et tenesmo juncta.

Syn. Inflammatio seu febris uterina. *Fr. Hoff.*
Metritis. *Auct.*

A. Inflammation of the womb.
G. ——————— de la matrice.
Ge. Gebærmutterentzündung.

Variat sede:

α. In substantia ipsius uteri, aut in membrana cellulari, uteri superficiem versus abdomen investiente (Hysteritis phlegmonodes).
β. In membrana mucosa, cavum uteri investiente (Hysteritis blennodes) (*).

Sp. 1. Hysteritis *Sthenica.*

Hysteritis cum dolore uteri acuto et symptomatibus sthenopyræ juncta; plerumque ex contusione partis affectæ, aut ex violenta placentæ post partum, perversa obstetricantium praxi, avulsione orta.

Variat pro causa remota:

α. A vulnere, laceratione, compressione, contusione aliave vi externa utero illata.
β. A placentæ post partum avulsione violenta.

(*) Hic morbus plerumque blennorrhagia uterina stipatus ad Sect. II. Phlegmas. pertinet. Vide etiam *Koliositis* et *Blennorrhagia.*

γ. A viru syphilitico, aliove acri externe applicato.

δ. A lochiis aut menstruis suppressis.

ε. A cessatione menstruorum.

ζ. A strangulatione prolapsus uteri aut vaginæ uteri.

Sp. 2. Hysteritis *Asthenica.*

Syn. Febris puerperalis. *Auct.*

Hysteritis symptomatibus asthenopyræ vel etiam septorrhepyræ stipata, præcipue post puerperium invadens, cum delirio, et subsultu tendinum; plerumque ex partu difficili aut præcipitato, aut ex sanguine subito post partum, in vasa abdominis irruente, orta. Morbus frequenter cum peritonitide, mesenteritide, enteritide aut etiam cum saburra primarum viarum complicatus, sæpe cito in gangrænam lethalem abit.

Sp. 3. Hysteritis *Metastatica.*

Variat:

α. A metastasi febrili.

β. Ab arthritide rheumatica, erysipelate, aut parotitide retrocedentibus.

γ. A galactoplania.

G. XXXV.

G. XXXV. MASTITIS.

A Gr. Μαστὸς, mamma: Inflammatio mammarum.

Mammæ unius vel utriusque tumor, rubor, et dolor cum pyrexia primaria vel secundaria.

Variat sede:

1. In glandulis lacteis mammæ.
2. In membrana cellulari, aut in cute, proprie sic dicta, mammarum.
3. In membrana mucosa superficiem mammarum tegente. Vide etiam *Erysipelas*, et Cl. V. *Epiphlogismata*.

Sp. 1. Mastitis *Phlegmonodes*.

Phlogosis membranæ cellularis aut glandularum mammæ, facile et plerumque in apostema, vel in tumorem durum, non raro etiam in skirrhum aut in carkinoma abiens. Vide etiam Cl. V. Tumores. G. *Mastoncus*.

VARIAT pro causa remota:

α. A vulnere, ictu, contusione, compressione aliave vi externa illata.

β. A menstruorum vel lochiorum suppressione.

γ. A lactis secreti excretione impedita.

δ. A lactis coagulatione in mammis.

ε. A refrigerio.

ζ. A febre lactea post partum.

η. A degeneratione carkinomatosa mammæ.

ϑ. Ab applicatione externa substantiarum, mechanice vel chemice mammam irritantium.

G. XXXVI. DERMATITIS.

A Gr. Δέρμα, corion seu cutis : Inflammatio corii, id est, textus cellularis compacti, cutem proprie sic dictam, constituentis (*).

Inflammatio cutis, sæpe in suppurationem aut ulcus abiens; plerumque, si plaga major, pyrexia stipata.

A. Inflammation of the skin.

G. ———— de la peau.

Ge. Hautentzündung.

(*) Hic non agitur de inflammatione membranæ mucosæ, cutem seu corion in tota corporis superficie ubique tegentis, quæ ad Sect. sequent. *Phlegmas.* pertinet. Vide *Erysipelas.* Ambæ hæ phlogoses tamen sæpe simul complicatæ occurrunt; quum cutis in sensu latiore, non solum corion seu tunicam adiposam, sed etiam membranam mucosam ac epidermidem comprehendat : Prior rectius dermatitis phlegmonodes, posterior dermatitis blennodes appellari posset.

Sp. 1. Dermatitis *Sthenica.*

Phlogosis cutis cum reactione valida cordis et systematis arteriosi.

Sp. 2. Dermatitis *Asthenica.*

Phlogosis cutis cum reactione debili cordis et systematis arteriosi, sæpe in gangrænam abiens.

VARIANT pro causa remota:

α. A vulnere, contusione, pressione, aliave vi externa illata.

β. A corporibus extraneis mechanice irritantibus.

γ. A venenis aut substantiis acribus externe applicatis, vel ex massa humorum ad cutem depositis.

δ. A viru varioloso.

ε. Ab aqua sub cute collecta, acrimonia peccante.

ζ. A combustura.

η. A gelu.

ϑ. A decubitu.

SECT. II. PHLEGMASIÆ BLENNODES, SEU MUCOSÆ.

A Gr. Βλέννα, mucus.

Pyrexia primaria vel secundaria, phlogosi topica membranæ mucosæ in quacunque corporis parte, interna vel externa, vix aut ne vix in suppurationem abeunte, stipata; plerumque cum secretione et excretione notabili materiæ acris, limpidæ vel puriformis, ex parte affecta. Morbus quandoque effusione materiæ albuminosæ, cito in massam solidam concrescentis, aut etiam in gangrænam terminans (*).

(*) Phlegmasiæ blennodes ad hanc sectionem spectantes ex triplici præprimis fonte oriri videntur: 1°, a materia acri aut humore sæpe evidenter salso, ex massa sanguinis ad partem corporis particularem deposito; 2°, a miasmate contagioso aut acri quocunque, in atmosphæra soluto, suspenso, vel cum aëre intime mixto, superficiei corporis externæ vel internæ applicato, vel deglutitione in ventriculum delato, aut inspiratione in pulmones conducto; 3°, a viru quodam aut veneno peculiari, specifico, contactu immediato corpori sano communicato. In primo casu principium aut humor acris, qui per alvum, vias urinarias, vel per cutem ex corpore eliminandus erat, in corpore retentus, et in membrana mucosa depositus eandem lacessit et Phlo-

SYN. Epiphlogismata febrilia.
Profluvia. *Cull.*
Phlegmasiæ rheumaticæ.
Rheumata, seu fluxus. } *Auct.*
Morbi serosi febriles.
Inflammationes, *s.* phlogoses spuriæ.
———— rheumaticæ viscerum.
———— serosæ seu catarrhales.
———— erysipelatosæ, *s.* erythematosæ. *Auct.*

---

gosin excitat. In secundo casu acre contagiosum membranæ mucosæ cutis, oculorum, narium, faucium, tracheæ, bronchiorum etc., cum aëre applicatum immediate inflammationem causat, vel ex superficie ejusdem membranæ in externa vel interna parte corporis absorptum, febrem et inflammationem topicam inducit. In tertio casu venenum aut virus acre, membranæ mucosæ sanæ contactu immediato, applicatum phlogosin topicam inducit, sæpe febre stipatam. Symptomata inflammationis sic excitatæ variant pro ratione partis aut visceris affecti, et forsan etiam pro ratione stimuli chemici applicati. Acria autem præcipue Phlegmasias blennodes excitantia, hactenus cognita, sunt: 1°, materia acris ex sudore aut transpiratione suppressa; 2°, bilis acris; 3°, acre herpeticum; 4°, acre podagricum aberrans; 5°, acre contagiosum naturæ incognitæ, maxime ex regionibus dissitis, et apud nos plerumque ex Tataria cum aëre advectum, sæpe longe lateque epidemice, præcipue sub nomine catarrhi, dysenteriæ, rubeolæ, scarlatinæ etc. furiens; 6°, virus syphiliticum, aut venena alia acria, membranæ

G. XXXVII. OPHTHALMITIS.

Gr. Ὀφθαλμία ab Ὀφθαλμὸς, oculus: Inflammatio oculi unius vel utriusque.

Tensio, calor, dolor et rubor oculorum vel palpebrarum; lucis intolerantia, quandoque cum siccitate oculi, plerumque cum secretione muci et lacrymarum aucta; sæpe cum febre aut saltem cum pulsatione arteriarum oculi abnormi.

Syn. Ophthalmia. *Auct.*
Ophthalmitis. *Ploucq.*
Chemosis. *V.*

A. Ophthalmia; imflammation of the eyes.
G. Ophthalmie; inflammation des yeux.
Ge. Augenentzündung.

Variat sede:

A. In ipso bulbo seu tunicis oculi:

1. Ophthalmitis phlegmonodes (in choroidea etc.).
2. ———— blennodes (in conjunctiva).
3. ———— inodes (in sclerotica).

---

mucosæ immediate per se, vel mediante saliva aut muco irretita, eidem applicata.

N. B. Ophthalmitis, præcipue mucosa, sæpe cum fibrosa, complicatur (*).

B. In palpebra vel tarso.

Gr. Ψωροφθαλμία s. Ξηροφθαλμία, Psorophthalmia *Auct.* (**).

(*) Membrana mucosa superficiem internam palpebrarum æque ac superficiem oculorum anteriorem externam, sub nomine conjunctivæ vel adnatæ aut etiam albugineæ, tegit. Membrana fibrosa, vulgo sclerotica ac cornea dicta, media inter priorem mucosam et posteriorem vascularem, cellularem, seu choroideam dictam interjacet. Juxta nostram inflammationum divisionem prima, id est ophthalmitis mucosa, proprie sola ad hanc sectionem pertinet; ophthalmitis fibrosa ad Sect. III, et ophthalmitis cellularis ad Sect. I, ablegandæ sunt.

(**) Huc pertinet:

Psorophthalmia Ægyptiaca seu Syriaca.

Morbus Syriæ et Ægypti endemicus, præcipue tempore anni sicco et calido, Nilo humili, et flante ex deserto vento, *Kampsin* dicto, regnans. Initio morbi sensatio in oculo quasi ex arenula illapsa, accedente mox calore et dolore oculi cum fluxu lacrymarum copioso; plerumque sequente die magnus palpebrarum tumor cum excretione materiæ puriformis ex oculo uno vel utroque, ita ut aperiri nequeant, sæpe in ulcuscula tarsi, palpebrarum aut corneæ ipsius, et non raro in cæcitatem et oculi destructionem abiens. Morbus à reflexione radiorum solarium ex terra arenosa alba, aut àrore nocturno acri, et præcipue ex sabulo tenuissimo per ventum *Kampsin* advecto, oriundus. *Vide* Larrey, Relation Hist. et Chirurgicale de l'armée en Egypte et Syrie. Paris.

Tensio, tumor, dolor, et rubor palpebrarum vel tarsi cum siccitate et sensu asperitatis, vel cum exsudatione copiosa muci viscidi; quandoque etiam cum ulcusculis ductuum excretoriorum glandularum tarsi.

SYN. Lippitudo. *Auct.*
Blepharitis. *Ploucq.*

C. In glandula lacrymali.

D. In caruncula lacrymali.

Sp. 1. Ophthalmitis *Idiopathica.*

VARIAT pro causa remota:

α. A corpore extraneo illapso, stimulo suo mechanico vel chemico, oculum irritante.

β. A contusione aut vulnere oculi.

γ. A transpiratione, præcipue frigore capitis, suppressa.

δ. A calore intenso, præcipue humido, oculis applicato.

ε. Ab effluviis aut vaporibus acribus etc. oculo applicatis (*).

ζ. A lumine fortiori aut diutius applicato.

(*) Huc præprimis pertinet *Ophthalmitis infantum*, in nosocomiis aut cubilibus immundis, non probe ventilatis orta.

η. A nimia oculorum intensione, præcipue in visendis objectis minutis.

ϑ. Ab ulcere aut cancro oculi.

ι. A trichiasi seu ciliorum inversione.

κ. A morpionibus.

λ. Ab evacuationibus sanguinis consuetis suppressis.

μ. A viru varioloso, aut rubeoloso irritante, ad oculum delato.

Sp. 2. Ophthalmitis *Cachectica.*

Variat:

α. Syphilitica, a viru syphilitico ex massa humorum ad oculum deposito, vel ab eodem per digitos aut alio modo oculis immediate applicato; aut etiam ex blennorrhagia genitalium syphilitica suppressa (*).

β. Scrofulosa.

γ. Herpetica.

δ. Leprosa, vel elephantiaca.

Sp .3. Ophthalmitis *Metastatica.*

Variat:

α. Ab exanthematibus retrocedentibus.

(*) Huc etiam pertinere videtur *Ophthalmitis Neonatorum*, a viru syphilitico, herpetico etc. in vagina matris hærente, oculis infantis, durante partu, applicato.

β. A morbis cutis chronicis præcipue tinea, achore etc. præpostere suppressis.
γ. A sudore topico consueto, aut ulcere vel fonticulo siccatis.
δ. Ab arthritide rheumatica vel podagrica, aut erysipelate retrocedente.
ε. A blennorrhagia urethræ vel vaginæ suppressa.
ζ. A podagra aberrante.

η. A galactoplania, uroplania etc.
ϑ. A pure absorpto et ad oculum delato.

Sp. 4. Ophthlamitis *Sympathica*.

Variat:

α. A saburra gastrica.
β. A vermibus intestinorum.
γ. Ab emphraxi vasorum vel viscerum abdominalium.
δ. A dentitione difficili.
ε. A dente carioso.
ζ. A morbis variis cerebri.
η. A morbis narium.

Syn. Ophthalmitis *chronica. Auct.*

Plerumque oritur ab inflammatione oculorum vel palpebrarum acuta prægressa, neglecta vel male tractata; vel a vi externa oculo

illata; a nimia visus intensione; a senio, aliisve causis, sub speciebus præcedentibus recensitis.

G. XXXVIII. OTITIS.

Gr. Ὠτῖτις, ab οὖς, auris: Inflammatio auris unius vel utriusque.

Dolor in aure interna vel externa acutissimus, pungens vel terebrans, sæpe pyrexia violenta, vel pulsatione arteriarum topica stipatus, cum tumore, rubore et calore partis affectæ; vel sine ullo vitio externo apparente dolor intentissimus in faucibus, aut in partibus auris internis ad cerebrum usque extendens, cum cophosi, dysecœa vel paracusi, non raro delirium, vomitum, syncopen, aut etiam paralysin inducens. Morbus frequenter cum fluxu materiæ puriformis, aut puris vel humoris tenuis limpidi ex aure una vel utraque junctus.

Variat sede:

α. In aure externa.
β. In glandulis meatus auditorii.

γ. In membrana mucosa meatum auditorium externum investiente.

δ. In membrana fibrosa seu periosteo.

ε. In tuba una vel utraque Eustachii.

ζ. In labyrintho, aliisve partibus auris internis, vel in locis vicinis.

Sp. 1. Otitis *Idiopathica.*

Variat pro causa remota:

α. A vi externa: contusione, vulnere, aut fissura vel fractura ossium auris, vel partium vicinarum.

β. A sonitu vehementiore.

γ. A punctura insectorum, aut acribus externe applicatis.

δ. A vermibus vel insectis irrepentibus.

ε. A polypo aliisve excrescentiis in meatu.

ζ. A cerumine indurato irritante.

η. A lapillis, pisis, aliisve corporibus extraneis in meatum auditorium intrusis.

ϑ. A carie ossium auris vel capitis.

ι. A frigore, externe auri vel capiti applicato; præcipue in junioribus, capite nudo in cubili humido et frigido, dormientibus.

Sp. 2. Otitis *Metastatica.*

Variat pro causa remota:

α. A menstruis vel hæmorrhoidibus aut aliis

sanguinis evacuationibus consuetis suppressis.

β. Ab arthritide aut erysipelate retrocedente.

γ. A morbis cutis, præcipue tinea, achore, etc. suppressis.

δ. Ab ulcere, fonticulo, vesicatorio, vel sudore topico consueto siccatis.

ε. A metastasi febrili.

ζ. A podagra aberrante.

η. A viru syphilitico, herpetico, etc. ad aurem vel partes vicinas delato.

ϑ. A blennorrhagia genitalium præpostere suppressa.

Sp. 3. Otitis *Sympathica.*

VARIAT:

α. A dysodontiasi.

β. A carie aut vitio dentis, maxillæ, etc.

γ. A parotitide, antiaditide, isthmitide.

δ. A saburra gastrica.

Vide etiam *Otalgia* et *Otorrhœa.*

G. XXXIX. ISTHMITIS.

A Gr. Ἰσθμὸς, fauces: Membranæ mucosæ faucium inflammatio.

Pyrexia primaria vel secundaria cum sensu molesto vel etiam dolore in fauci-

bus; deglutitio plus minusve difficilis aut perfecte impedita; rubor et tumor uvulæ, veli penduli, aut pharyngis, sæpe simul etiam tonsillarum et glandularum submaxillarium, ac musculorum colli; screatus frequens molestus muci aut salivæ spissioris, tenacis.

SYN. Cynanche. *S. V.* Gr. Κυνάγχη.
Synanche (gr. Σύναυχή).
Pharyngitis. *Auct.*
Isthmitis. *Ploucq.*
Angina catarrhalis. } *Auct.*
——— serosa. }
——— rheumatica. }

A. Sore throat.
G. Mal de gorge; esquinancie.
Ge. Halsentzündung, Halsweh.

Sp. 1. Isthmitis *Sthenica.*

Isthmitis cum symptomatibus sthenopyræ juncta.

VARIAT pro causa remota:

α. A transpiratione frigore suppressa.
β. A miasmate varioloso, rubeoloso etc.
γ. Ab arthritide aut erysipelate retrocedente.

δ. A viru syphilitico fauces occupante.

ε. Ab hydrargyri usu interno vel externo diutius protracto (*).

ζ. A podagra aberrante.

η. Ab evacuationibus quibusve consuetis retentis.

θ. A vulnere.

ι. Ab hirudine cum aqua hausta, fauces irritante.

κ. A venenis deglutitis.

λ. A luxatione vertebræ, aut cartalaginum laryngis.

Sp. 2. Isthmitis *Septorrhepes* (**).

Isthmitis cum symptomatibus septorrhepyræ primariæ vel secundariæ; dolor et ardor in faucibus; deglutitio difficilis; veli penduli, tonsillarum vel pharyngis color purpureus, et ulcera crusta alba tecta, sæpe cito in gangrænam abeuntia; odor oris fœtidus.

(*) Isthmitis syphilitica ab Isthmitide hydrargyrica in praxi sollicite distinguenda est : ex neglectu hujus distinctionis mala gravissima et mortem secutam fuisse vidi.

(**) Hic morbus antea in Europa incognitus, primo 1610 epidemicus apparuit Neapoli. Vide *Nola de Phlegmone anginosa epidemica*, in-4o, Venetiis 1610.

Syn. Angina putrida.
——— maligna.
——— ulcerosa.
——— gangrænosa.
——— scarlatinosa.
Scarlatina anginosa.
Cynanche erysipelatosa.
——— maligna.
——— ulcerosa.
——— gangrænosa.
——— atonica. } *Auct.*

A. Ulcerous, putrid, or erysipelatous sore-throat.
G. Esquinancie maligne, ou putride.
Ge. Bösartige Bräune.
Hisp. Garotilla.

G. XXXVI. LARYNGITIS.

A Gr. Λάρυγξ, caput asperæ arteriæ : Inflammatio laryngis.

Phlogosis membranæ mucosæ laryngis vel etiam membranæ fibrosæ cartilagines laryngis investientis, cum pyrexia, raucedine, aphonia aut paraphonia, tussi, et dyspnoea, sine ullo vitio apparente in faucibus.

Syn.

SYN. Angina laryngea. *Auct.* (Gr. Κυνάγχη).

Variat pro ratione causæ remotæ fere, ut Isthmitis.

G. XL. BRONCHITIS.

A Gr. Βρόγχος, aspera arteria seu arteria cartilagina *Hipp.* unde Βρόγχια, cartilagines asperæ arteriæ: Inflammatio tracheæ, vel bronchiorum.

Phlogosis membranæ mucosæ, sæpe simul ac membranæ fibrosæ tracheæ, aut bronchiorum; respiratio summe difficilis, anhelosa, sibilosa; tussis clangosa, cum summa anxietate et sensu suffocationis; aphonia, paraphonia; pyrexia, plerumque sine ullo vitio in faucibus apparente. Morbus præprimis junioribus ante 12^{mum} ætatis annum, sed quandoque etiam adultis, infestus et frequenter suffocatione, ex omni secretione muci subito impedita, vel ex effusione et concretione materiæ albuminosæ sanguinis in cavo tracheæ et bronchiorum, lethalis.

SYN. Cynanche laryngea. } *Auct.*
——— stridula. }
——— trachealis *Cull.*
Peripneumonia trachealis *Darw.*
Angina inflammatoria infantum. }
——— polyposa. }
——— membranacea. } *Auct.*
——— perniciosa epidemica. }
Suffocatio stridula. }
Catarrhus suffocativus Barbadensis. *Hill.*
Asthma infantum. *Millar.*
Morbus strangulatorius. } *Auct.*
——— truculentus infantum. }

A. Croup; Hives.
G. Le croup.
Ge. Polypose Bräune.

N. B. Hic morbus primo Londini epidemicus apparuit 1656. Vid. *Bonnet Theatr. Tabid.* — Hodie utplurimum sporadicus, infantibus præcipue infestus, ab auctoribus sæpe cum pneumonitide vel asthmate spasmodico confunditur.

GASTRITIS. Vide Sect. I. *Phlegmas.*

ENTERITIS. Vide Sect. I. *Phlegmas.*

G XLI. KYSTITIS.

A Gr. Κυστις, vesica urinaria : Inflammatio vesicæ urinariæ aut colli ejusdem.

Tumor et dolor in hypogastrio, pressione auctus, cum dysuria vel ischuria; sæpe simul tenesmo, et plerumque pyrexia primaria vel secundaria stipatus.

Variat sede :

1. In membrana mucosa, interne vesicam investiente. (Kystitis blennodes).
2. In membrana cellulari vesicam externe versus cavum abdominis tegente (Kystitis phlegmonodes).
3. In membrana fibrosa. (Kystitis inodes).

Sp. 1. Kystitis *Blennodes* (*).

Phlogosis membranæ mucosæ, vesicæ urinariæ superficiem internam investientis; dolor in perinæo vel hypogastrio constanter lacessens; inquies; nisus frequens mingendi cum excretione urinæ paucæ mucosæ summe dolorifica. Vide etiam *Blennorrhagia vesicalis.*

Sp. 2. Kystitis *Complicata.*

Phlogosis membranæ mucosæ, sæpe simul

(*) Cum in praxi utplurimum perdifficile et sæpe impossibile sit, has varias Kystitides inter se probe distin-

ac membranæ cellularis, aut etiam membranæ fibrosæ vesicæ urinariæ; dolor intensus in hypogastrio immediate supra pubem, quandoque cum tumore et rubore cutis externæ hypogastrii vel perinæi; ischuria, vel dysuria constans, summe molesta cum tenesmo; inquies et summa anxietas; frigus extremitatum cum nausea, vomitu, delirio. Morbus sæpe in gangrænam lethalem, aut in apostema, vel ulcus vesicæ abiens.

Variat pro causa remota:

α. A venenis acribus (præcipue a lytta vesicatoria) interne assumptis.

β. A lytta vesicatoria externe applicata.

γ. Ab arthritide rheumatica vel podagrica retrocedente.

δ. A podagra aberrante.

ε. A metastasi febrili aut exanthematica.

ζ. A calculo irritante, premente.

η. A vermibus in vesica nidulantibus.

ϑ. A corporibus extraneis in vesicam introductis (*).

---

guere, eas huc ad Kystitidem blennodem, frequentius in praxi occurentem, potissimum referendas esse judicavi.

(*) Kystitidem lethalem vidi ex cereola medicata, quæ in urethram immissa et per noctem, neglecto ligaculo, ibi relicta fuit, sub somno fere tota vesicam subeunte.

ι. A menstruis aut hæmorrhoidibus suppressis.
κ. A morbis cutis suppressis.
λ. A stenosi urethræ.
μ. A vulnere, ictu, aliave vi externa illata.

G. XLII. CATARRHEUMA.

A Gr. Κατὰ, de, et ῥεῦμα, fluxus: Defluxio seu destillatio humoris.

Pyrexia primaria vel secundaria; phlogosis, et tumor membranæ mucosæ nares, fauces, laryngem, tracheam, bronchia, aut vesiculas pulmonum aëreas interne investientis, cum secretione aucta atque excretione humoris initio acris, limpidi, progressu morbi mitioris, crassi, flavescentis, aut ex flavo-viridescentis ex parte affecta; urina pallida, turbida, sæpe simul cum dysuria. Morbus apud nos præprimis sero autumno et hyeme frequens, utplurimum a transpiratione, frigore atmosphæræ humido, suppressa; sed non raro etiam ex acri contagioso cum aëre ex regionibus dissitis advecto, et membranæ mucosæ harum partium immediate applicato, ortus (*).

(*) Catarrheuma, (præcipue coryzam) homini sano cum

Syn. Phlegmatorrhagia. *Burser.*
Rheuma catarrhale. } *Auct.*
——— catarrhus. }

Variat sede:

I. Coryza.

A Gr. Κόρυζα, *Hipp.*

Inflammatio membranæ mucosæ cavum narium et faucium investientis; obstructio narium ex tumore ejusdem membranæ; defluxio seu destillatio pituitæ aut humoris tenuis limpidi, vel puriformis, acrimonia sua sæpe nares et labium oris superius excoriantis, sine ozæna aut polypo; dacryrrhœa acris; sternutatio et screatus frequens, plerumque cum dolore capitis gravativo et tinnitu aurium; sæpe sine pyrexia notabili. Morbus utplurimum ab aëre frigido et humido, corpori æstuanti et quieto aut capiti nudo diutius applicato, ortus.

Syn. Gravedo. *Celsi.*
Catarrhus ad nares. *Cæl. Aurel.*

ægro in cubili vel etiam in rheda arctius incluso communicatum fuisse, et hinc sæpe, sine vitio atmosphæræ epidemico, contagiosum esse, pluries observavi.

(**) Pituita seu mucus in catarrheumate ex naso destillans, æque ac mucus screatu e faucibus ejectus, saporem linguæ salinum, sæpe phosphati sodæ similem, imprimunt.

A. A cold; catching cold.
G. Rhume de cerveau.
Ge. Schnupfen ; Schnuppen.

II. Catarrhus.

A Gr. Κατάῤῥους, *Hipp.*

Inflammatio membranæ mucosæ laryngem, tracheam, bronchia et pulmonum vesiculas aëreas interne investientis.

Prægressis utplurimum symptomatibus coryzæ raucedo; tussis initio sicca, dein humida; anacatharsis (*) et screatus frequens. Morbus plerumque cum rheumatopyra et sensu lassitudinis insignis invadens, apud nos sæpe epidemicus et contagiosus, non raro etiam cum saburra gastrica complicatus; in regionibus calidis vix notus (**).

(*) Anacatharsis (Ἀνακάθαρσις , *Hipp.* Expectoratio *Lat.*) est humoris ex pulmonibus vel trachea per tussim et sputa (πτύσματα, gr.) ejectio; hinc differt a screatu (χρέμμα, gr.) in quo mucus vel saliva ex faucibus vel ore sæpe etiam cum tussi ejicitur.

(**) Catarrhus ex quacunque causa ortus, neglectus vel male tractatus, sæpe periculosus evadit : diutius durans facilius redit, et non raro, præprimis in regionibus ubi atmosphæra humida, et subitus ex frigore in calorem transitus frequens est, in subjectis maxime junioribus aut delicatulis a 18vo ad 26tum ætatis annum, non raro in Phthisin pulmonalem abit. — *De Catarrho senili* dicto vide supra Sect. I. *Pneumonitis pituitosa.*

SYN. Febris catarrhalis. *Auct.*
Tussis catarrhalis et rheumatica. *Fr. Hoff.*
Amphemerina catarrhalis. *S.*
Febris remittens catarrhalis. *Macbr.*
Rheuma catarrhale. *S.*

A. Catarrh.
G. Catarrhe ; rhume de poitrine ; fièvre catarrhale.
Ge. Katarrh.

VARIAT pro causa remota :

α. A frigore atmosphæræ præcipue humido, corpori exæstuanti vel ex quacunque causa antea debilitato, diutius applicato.

β. A sudore consueto pedum, manuum vel axillarum suppresso.

γ. Ab ulcere, fonticulo, aut morbis cutis incaute siccatis.

δ. A miasmate peculiari, apud nos præcipue ex Tataria et Asia orientali cum aëre advecto.

ε. A miasmate rubeoloso. (Vide *Rubeola*).

Sp. 1. Catarrhus *Sthenicus.*

Symptomata catarrhi cum valida reactione cordis et systematis arteriosi, præcipue sanguineis, robustis, vel alpium incolis, in climate frigido, aut tempore hyemis, infestus.

Sp. 2. Catarrhus *Asthenicus*.

Symptomata catarrhi cum reactione cordis et systematis arteriosi debiliori.

N. B. Catarrhus epidemicus, et *contagiosus*, nostratibus *Influenza* seu etiam *Gripe* dictus, ex acri peculiari, naturæ hactenus incognitæ, in aëre chemice soluto aut cum eodem mechanice mixto, et ex dissitissimis sæpe regionibus advecto, ac membranæ mucosæ narium, faucium et pulmonum immediate applicato oriri videtur. Hic morbus sæculo præcedente, in Europa frequenter epidemicus observatus fuit. Epidemiam catarrhalem 1709, *Fr. Hoffmannus* descripsit. Alia ejusdem epidemia 1733 in Hollandia et Anglia, magna debilitate, et abscessibus juxta aures ac exanthematibus pustulosis stipata, apparuit : Alia 1742-43 magis ad pneumonitidem inclinans: Alia 1762 debilitate, violento pectoris dolore, et diarrhœa sæpe periculosa notata : Alia huic fere similis 1775. —Sed harum epidemiarum maxime celebris fuit *Influenza* 1782, diversis symptomatibus in variis climatibus stipata. In Asia orientali et meridionali mense octobri et novembri 1781 orta, Moscovii initio 1782 observata fuit; inde Petropolin visitans, ex hac urbe in Borussiam, et Germaniam migrans, ad finem Maji in Anglia; Junio in Gallia; Julio in Italia; Augusto in Hispania grassans, paulo post Americam septentrionalem attigit; mediam præcipue ætatem invadens, utplurimum cum magna virium prostratione, in quibusdam charactere sthenico, stipata; in aliis cum symptomatibus saburræ gastricæ complicata fuit. Sed generalis hujus influenzæ contagiosæ character erat : dolores pectoris punctorii, tussis cum magna anxietate, gravitas capitis et hebetudo, sensus

G. XLIII. APHTHA.

A Gr. Ἄφθα, ulcus oris : Inflammatio membranæ mucosæ oris aut faucium.

Pustula vel ulcusculum, seu vesiculæ aut ulcera plura in ore, buccis, lingua, gingivis, palato, velo pendulo, tonsillis aut pharynge, alba, cinerea vel rubra, dolorifica, sæpe serpentia, imo per œsophagum in ventriculum et intestina ad anum usque progredientia. Morbus frequens infantum, sed non raro etiam adultorum, utplurimum symptomaticus, sæpe cum pyrexia junctus.

A. Thrush; canker of the mouth.
G. Aphthes; chancres de la bouche.
Ge. Mundgeschwüre; schwâmchen; mundfâule; wasserkrebs.

VARIAT pro causa remota, aut pro morbo primario:

α. Ab acri externe applicato.
β. Ab acri contagioso vel putrido mediante aëre ori vel faucibus applicato.

---

debilitatis, spasmi, delirium; in cachecticis et debilibus sæpius in pneumonitidem asthenicam, vel in apoplexiam lethalem abiens.

γ. A saliva aliena impura ori applicata (*).

δ. A saburra biliosa, atrabilaria etc. primarum viarum.

ε. Ab acido, aliisve vitiis ventriculi.

ζ. A vitio lactis, vel diætæ.

η. A podagra aberrante, aut ab acri alio quocunque ex massa humorum ad os delato.

ϑ. A syphilitide.

ι. A scorbuto.

κ. A rubeola.

λ. A scarlatina.

μ. A variola.

ν. A phthisi.

ξ. A Dysenteria.

ο. Ab exhalationibus acribus ex pulmone.

π. Ab usu interno vel externo, aut ex vaporibus hydrargyri.

G. XLIV. DYSENTERIA.

Gr. Δυσεντερία, a δὺς male, et ἔντερον, intestinum: Intestina male habentia *s.* difficultas intestinorum.

Phlogosis membranæ mucosæ intestinorum, præcipue coli et recti, quandoque etiam ilei, ab acri irritante appli-

---

(*) Sic sæpe nutrices infectæ syphilitidem infantibus communicant, et vice versa.

cato; dejectiones frequentes sed parcæ, serosæ, mucosæ, cruentæ, aut loturæ carnium similes, quandoque cum sanie putrida, aut frustulis sebum vel portionem membranæ referentibus; retentis plerumque fæcibus alvinis, compactis et duris; tormina ventris, præcipue ante singulam dejectionem; tenesmus frequens summe molestus (*). Morbus maxime adulta æstate vel autumno epidemicus, non raro pyrexia primaria vel secundaria stipatus (**).

A. Dysentery, or bloody-flux.
G. La dysenterie.
Ge. Die Ruhr.

Sp. 1. Dysenteria *Rheumatica*.

Dysenteria cum dejectionibus serosis vel mucosis, vel muci sanguine tincti; quandoque muci ductilis, tremuli instar glutinis tenacis,

---

(*) Tenesmus (gr. τεινεσμὸς) est frequens et fere inane desidendi, seu alvum deponendi desiderium.

(**) Dysenteria sollicite distinguenda est ab hæmorrhagia intestinorum, et a fluxu hæmorrhoidum dolorifico, æque ac a blennorrhagia recti, vulgo fluxu coeliaco dicto.

vel etiam sanguinis puri cum rheumatopyræ sthenicæ vel asthenicæ symptomatibus. Morbus præcipue coli aut recti, quandoque etiam ilei, post æstatem calidam, autumno humido frigido, frequenter epidemicus; ex transpiratione frigore suppressa aut ex rheumatico dolore locum mutante, vel ex haustu frigidæ æstuante corpore, oriundus; quandoque in arthrodyniam transiens, aut cum ea alternans.

SYN. Rheuma ventris. (Ῥεῦμα γαστρὸς *Galen.*).
Rheumatismus intestinorum. } *Stoll.*
Febris rheumatica dysenterica. }
Rheuma intestinorum. }
Dysenteria autumnalis. } *Auct.*
——— vernalis. }

Sp. 2. Dysenteria *Biliosa*.

Dysenteria cum dejectionibus biliosis, sæpe sine febre, sæpe etiam cum cholepyra evidente, nec non dysuria aut ischuria, et symptomatibus saburræ gastricæ juncta, frequenter æstate vigente epidemica.

SYN. Febris biliosa dysenterica. } *Stoll.*
Dysenteria rheumatico-biliosa. }

Sp. 3. Dysenteria *Septorrhepes*.

Dejectiones frequentes, dolorificæ, cruentæ, cum symptomatibus septorrhepyræ.

Syn. Dysenteria putrida.
———— maligna.

Sp. 4. Dysenteria *Periodica.*

Dysenteria cum symptomatibus dialeipyræ.

Sp. 5. Dysenteria *Verminosa.*

Symptomata dysenteriæ, cum symptomatibus Helminthiasis.

Sp. 6. Dysenteria *Syntectica* (*).

Dysenteria cum dejectionibus copiosis, serosis, aquosis, limpidis, ex transpiratione suppressa, aut ex potu aquarum mineralium, vel ex materia herpetica, etc., ad intestina delata; sæpe subita corporis emaciatione, cute arida, siti intensa, repentina virium prostratione, leipothymia, pulsu frequenti, debili, ac convulsionibus stipata, cito lethalis.

Syn. Syntexis. (Σύντηξις, Gr.)
Diarrhœa, s. dysenteria colliquativa. *Auct.*

Sp. 7. Dysenteria *Venenata.*

Dysenteria, utplurimum sine febre, a veneno, aut medicamento drastico, vel acri quo-

(*) *Willis* hanc speciem 1670 autumno Londini epidemicam observavit.

cunque assumpto, orta. Morbus præprimis intestinorum tenuium.

Syn. Enteritis venenata.

Sp. 8. Dysenteria *Chronica*.

Post dysenteriam acutam, dejectiones dolorificæ frequentes, præcipue seri aut puris cum fæcibus. Morbus utplurimum ex ulcere intestini, aut ex remanente irritabilitate canalis intestinalis nimia ortus. (*)

Sp. 9. Dysenteria *Complicata*.

α. Dysenteria rheumatica cum biliosa.
β Dysenteria cum Helminthiasi.

(*) Quidam auctores omnem dysenteriam cum ulcere intestinorum junctam esse crediderunt; ideoque ulcus intestinorum, seu alvifluxus cum exulceratione intestinorum, et dysenteria illis synonyma sunt. Alii quemlibet fluxum sanguinis ex ano dolorificum dysenteriam appellant. Celsus hunc morbum tormina intestinorum vocat. Sed dysenteria chronica vel acuta, adesse potest sine ulcere intestini, æque ac sine fluxu sanguinis. Hinc alvifluxus quicunque cum torminibus intestinorum junctus, seu (si indolem morbi magis respicias) inflammatio membranæ mucosæ, sæpe simul ac membranæ cellularis, et glandularum intestinorum ab acri rheumatico vel bilioso aliove, colon et rectum potissimum irritante, orta, rectius dysenteriam constituit.

G. LV. ERYSIPELAS.

Gr. Ἐρυσίπελας ab ἐρυθρός, ruber, et πέλα, prope. (Vel potius forsan a vocabulo græco antiquo πέλλας, cutis) (*).

Tumor in superficie corporis, præprimis in facie, brachiis vel cruribus, durus, splendens, per summam cutem diffusus, ambitus inæqualis, coloris rubro-flavescentis, rosei, rarius profunde rubri, pressione digiti evanescentis; calor, pruritus et dolor urens in parte affecta; frequenter cum pyrexia primaria vel secundaria. Morbus facile sedem mutans (**), aut parte primaria derelicta in vicinas partes sensim obre-

(*) Sub nomine Erysipelatis proprie intelligimus, inflammationem membranæ mucosæ in superficie corporis; hinc forsan rectius *Dermatitis Blennodes* appellanda.

(**) Erysipelas, instar arthritidis, facile ex levi causa, imo subinde sine ulla causa evidente retrocedit, et cute derelicta organa interna: Cerebrum, fauces, pulmones, ventriculum, intestina, vesicam etc. petit, eventu sæpe lethali.

pens;

pens; utplurimum nono, vel etiam duodecimo aut decimo quarto die sponte abiens, et non raro omni mense, aut quovis æquinoctio, periodice recurrens.

SYN. Epiphlogisma. (Ἐπιφλόγισμα. *Hipp.*)
Febris erysipelatosa. *Sydenh.*
——— erysipelacea. *Fr. Hoffm.*
Rosa. *Sennert.*

A. Erysipelas.
G. Erysipèle.
Ge. Rothlauf; Rose.

Sp. 1. Erysipelas *Sthenicum.*

Prægresso utplurimum horrore, rigore cum pulsu frequenti, contracto, ac virium prostratione et oppressione ad præcordia, gasteralgia; nausea, vomitus; calor et sitis intensa; pulsus frequens, plenus, fortis, quandoque durus; anxietas; dyspnœa; kephalalgia; delirium, aut cataphora. Secundo aut tertio die, quandoque tardius, tumor, dolor et color roseus in cute, superficie epidermidis lævi et æquali; paulo post epidermide insensibiliter rupta exsudatio humoris acris flavescentis, post paucos dies in desquammationem epidermidis terminans. Quandoque etiam epidermis in vesiculas attollitur, sæpe confluentes, et

exulcerantes; vel humor sub cuticula inspissatus in tumorem durum, aut etiam, si morbus gravior est, et membrana cellularis seu corion substratum simul inflammatur, in suppurationem abit.

Sp. 2. Erysipelas *Asthenicum*.

Asthenopyra vel septorrhepyra cum sensatione frigoris, lingua sicca, vomitu, cataphora, delirio. Morbus cito in vesiculas sæpe confluentes et gangrænescentes, abiens; ebriosis et senibus non raro lethalis.

VARIAT pro causa remota:

α. A transpiratione suppressa.

β. A bile acri absorpta et ad cutem deposita.

γ. A refrigerio.

δ. Ab aqua hydropicorum acri sub epidermide effusa.

ε. A sudore pedum, manuum, aut axillarum incaute suppresso.

ζ. A morbis cutis, ulcere, fonticulo præpostere siccatis.

η. A podagra aberrante.

θ. Ab uroplania.

ι. A galactoplania.

κ. A cessatione vel suppressione menstruorum, aut hæmorrhoidum.

λ. A vulnere aut contusione.

μ. A veneno, aut acri quocunque externe applicato.

Sp. 3. Erysipelas *Sympathicum.*

Variat:

α. Ab animi pathematibus violentis.

β. Ab ingestis acribus.

γ. A venenis assumptis.

δ. A saburra biliosa, putrida primarum viarum.

ε. A parte interna aut viscere vicino inflammato, vel alio vitio affecto.

N. B. Erysipelas quandoque complicatur cum phlogosi membranæ cellularis subjacentis; unde *Erysipelas phlegmonodes, Auct.*

SECT. III. PHLEGMASIÆ INODES SEU FIBROSÆ.

A Gr. Ἶς, gen. Ἰνὸς, fibra. (Inophlogismata febrilia.)

Pyrexia primaria vel secundaria cum phlogosi topica membranæ fibrosæ musculorum, tendinum, ligamentorum, etc. præcipue in articulationibus, aut carnibus inter eas intermediis, in quacunque corporis parte externa vel interna.

G. XLVII. ARTHRITIS.

A Gr. Ἀρθρῖτις ab Ἄρθρον, articulus : Phlogosis membranæ fibrosæ vaginarum, tendinum et ligamentorum articulationum, aut periostei in variis corporis partibus.

Pyrexia primaria vel secundaria; dolores articulorum vagi, summe excruciantes, per ligamenta, tendines et membranas articulationum, vel etiam per carnes inter articulos medias diffusi, subito et facile sedem mutantes. Morbus præcipue adultorum, raro in suppurationem abiens, sed plerumque resolutione simplici, vel transudatione aut depositione humoris acris, quandoque evidenter salini, in partem affectam terminans.

Sp. 1. Arthritis *Podagrica* (*).

Dolor articulorum acutus, lancinans vel terebrans, præcipue articulationes digitorum manuum vel pedum, vel ipsos digitos, aut etiam tarsum vel metatarsum, calcaneum,

(*) Arthritidem cum Hippocrate in arthritidem proprie sic dictam, et in arthritidem per siccas temporum constitutiones, aut ex carne valde perfrigerata invadentem distinguo. Priorem ex defectu vocabuli melioris, *arthri-*

genua, coxas, lumbos, humeros, cubitos, carpum vel metacarpum invadens, utplurimum cum pulsu forti, pleno et frequente, et plerumque cum tumore, calore et rubore articuli affecti : Dolor nunc intensior, nunc remissior, vagus modo hanc modo aliam partem, sæpe plures articulos simul et semel depascens. Morbus ex generatione et decubitu humoris peculiaris, præcipue ex urate, vel forsan etiam phophaste, calcis aut sodæ compositi, ortus; utplurimum hæreditarius, aut etiam vita otiosa, lauta et dissipata acquisitus (*).

SYN. Arthritis.
——— vaga. } *Auct.*
Febris arthritica. }
——— podagrica. *V.*
Dolor podagricus et arthriticus verus. *Fr. Hoffm.*

A. Arthritis.
G. Fièvre arthritique.
Ge. Gichtfieber.

---

tidem podagricam, alteram *arthritidem rheumaticam* appellavi. Si quis hos affectus non specie sed genere potius differre judicat, id facile dabo, et in hoc casu priorem *Arthritidem*, posteriorem *Myonitidem* appellarem.

(*) Ex charactere dato arthritis facile a morbo articulorum chronico, vulgo sub nomine podagræ, gonagræ, chiragræ etc. noto, aliisve arthrodyniæ speciebus distinguitur. Vid. *Podagra* Cl. IV, et *Arthrodynia* Cl. III.

Sp. 2. Arthritis *Rheumatica* (*).

Pyrexia primaria vel secundaria, plerumque cum pulsu frequente, pleno et forti, sæpe etiam duro; calor corporis intensus; sitis multa; lingua alba; urina rubra; dolor vehemens acutus, vel tensivus, lancinanus aut terebrans in una, vel simul in pluribus cor-

(*) Arthritis rheumatica sibi relicta certo temporis spatio increscit, donec acmen seu summum gradum attingit, in quo per aliquot tempus persistit; deinde gradatim minuendo tandem ægrum perfecte sanum relinquit: sed quandoque, præcipue methodo debilitante tractata, levato dolore in membro affecto, subito caput, cor, pulmones vel intestina aut vesicam etc. male afficit, et syncopen, pneumonitidem, dysenteriam, aphthas, ischuriam, delirium, subsultus tendinum etc. inducit, metastasi seu effusione humoris acris peculiaris sæpe cito lethali, vel etiam in paralysin, asthma, hydrothoracem etc. abit. — Hic morbus, ut mihi quidem videtur, ab humore quodam acri in corpore nato, vel a materia perspirabili retenta in partem defluente eamque stimulo suo irritante oritur, facile sedem mutat, et hinc ad viscera interna delatus, ibique impactus phlogoses varias, aliosve morbos sæpe gravissimos generat; aut in partibus corporis exterioribus fixus dolores chronicos violentos, sæpe etiam periodicos, rabelles causat cum debilitate vel immobilitate, quandoque etiam cum paralysi aut atrophia partis affectæ. Quandoque etiam fit extravasatio humoris, tumorem album dictum formans; aut liquidum extravasatum cum musculis, tendinibus et ligamentis in massam solidam concrescit, ankylosin aut akinesiam im-

poris partibus, præprimis tractum musculorum vel nervorum sequens, sed non raro etiam articulos ipsos artuum occupans, vagus vel fixus, in periosteo, ligamentis aut membranis nervorum, vel musculorum extremitatum, humeri, cervicis, pectoris, dorsi, lumborum, coxendicis, vespere exacerbans, noctuque calore lecti utplurimum intensius sæviens; sæpe

---

medicabilem inducens. Quum hic morbus, instar phlegmasiarum phlegmonodearum, sæpe pulsu frequenti, pleno, forti et duro, aliisve phlogosis localis symptomatibus violentis stipatur, plurimi, imo fere omnes auctores, eundem, ut febrem inflammatoriam primariam, debilitantibus, evacuantibus et præcipue venæ sectionibus repetitis tollendum esse docuerunt; donec 50 circiter abhinc annis, amicus meus *Hugo Smith*, medicus Londinensis sagacissimus observans, dolores in hoc morbo frequenter vesperi exacerbari, eundem tempore remissionis, ut febrem remittentem, cortice cinchonæ officinalis, non obstante pulsu frequente, pleno et duro, aggredi tentavit, idque successu felicissimo. Sed probe notandum est, hanc methodum nunquam cum successu adhiberi, antequam remissio doloris evidens et urina lateritia apperere contingat. Hæc methodus deinde ab aliis medicis Londinensibus, et præcipue a *Georgio Fordyce* in Nosocomio S. Thomæ introducta, non solum efficacissima inventa fuit, sed etiam ab eo tempore Metastases in hoc morbo, sub methodo antiqua, adeo frequentes et sæpe lethales, nunquam amplius vel rarissime saltem, occurrere observavimus. *Haygarth* hanc methodum a Dre Fothergill primo didicit, hinc ejus inventionem eidem male tribuit.

sine ullo tumore aut rubore partis affectæ, sed cum immobilitate membri vel vehementissimo ad nisum movendi dolore. Pyrexia initio plerumque continua, progressu morbi, post biduum aut triduum, evidenter remittens, urina simul sedimentum lateritium copiosum deponente; sudores nocturni profusi sine levamine. Morbus plerumque a causa externa evidente, ut ex cursu aëris frigidi, corpori præcipue æstuanti aut parti ejusdem peculiari incaute admisso, vel etiam ex aqua frigida, aut vestimentis humidis corpori, præcipue quieto, diutius applicatis, ortus; quandoque contractionem musculorum et tendinum immobilem, et atrophiam partis post se relinquens.

Syn. Rheumatismus S. L. V. *Cull.* et *Boerh.*
——— febricosus. *S.*
——— acutus calidus.
——— inflammatorius.
Morbi rheumatici febriles.
Febris rheumatica. } *Auct.*
Myositis. *Sag.*

A. Rheumatism.
G. Rhumatisme.
Ge. Rheumatismus.

Variat sede :

1. In lumbis.
Syn. Lumbago febrilis. *Auct.*

2. In coxa.

Syn. Ischias febricosum.

Morbus coxarius febricosus. *Auct.*

3. In musculis thoracis vel periosteo costarum.

Syn. Pleuritis spuria. *Auct.*

Pleurodyne febricosa. *S.*

4. In periosteo aut musculis capitis, vel in periosteo dentium.

Syn. Kephalalgia et odontalgia rheumatica.

5. In auribus (otitis rheumatica).

Arthritis rheumatica quandoque complicatur:

α. Cum saburra pituitosa, biliosa, putrida primarum viarum.

β. Cum vermibus intestinorum.

Sp. 3. Arthritis *Symptomatica.*

Dolores articulorum, aliave arthritidis symptomata cum pyrexia, ab aliis morbis dependente (*).

Variat pro causa remota :

α. A saburra quavis in ventriculo vel intestinis collecta.

(*) Omnes articulorum dolores a variis causis hic infra recensitis orti et pyrexia stipati, recte huc pertinent: sin minus, ad Arthrodyniam vel Myodyniam referendi.

Vide etiam supra *Osphytis*, et Cl. III. O. *Algemata.* G. *Arthrodynia, Myodynia, Ischialgia*, et *Osphyalgia.*

β. A bile aut materia quacunque tenuiore acri ex intestinis absorpta, et dein artubus variis impacta.

γ. A dialeipyra præmature cinchona sublata.

δ. A dysenteria præpostere adstringentibus, aut sedativis curata.

ε. Ab Helminthiasi.

ζ. A vaporibus aut præparatis plumbi, arsenici, aut hydrargyri deglutitis, vel externe applicatis.

η. Ab alimentis pravis, aut venenatis assumptis. Vide *Myrmekismus*.

θ. A scorbuto.

ι. A syphilitide.

κ. A galactoplania.

λ. A sudore topico pedum, manuum, axillarum habituali, incaute suppresso.

μ. Ab ulcere, fonticulo etc. siccatis.

ν. A menstruis vel hæmorrhoidibus suppressis.

ξ. A morbis cutis variis præpostere suppressis.

ο. A miliaribus (puerperis familiaris).

π. Ab hyperkinesia (præcipue fœminarum).

ρ. Ab encausi.

σ. A contusione, distorsione aut luxatione.

CL. I. O. III. EXANTHEMATA.

Gr. ἘΞΑΝΘΉΜΑΤΑ, ab Ἐξανθέω, effloresco, pullulo.

Character. Pyrexia et phlogosis in cute, præcipue in membrana ejus mucosa, cum eruptione papularum, pustularum, vel macularum in superficie corporis.

Syn. Phlegmasiæ exanthematicæ. *S.*
Morbi exanthematici. *L.*
Febres exanthematicæ. *V.*

A. Exanthematous or eruptive fevers.
G. Fièvres eruptives.
Ge. Ausschlagfieber.

Genera ad hunc ordinem spectantia sunt:

SECT. I. EXANTHEMATA CONTAGIOSA.

Genus	I.	VARIOLA.
	II.	VARICELLA.
	III.	RUBEOLA.
	IV.	SCARLATINA.

SECT. II. EXANTHEMATA NON CONTAGIOSA.

G. V. PEMPHIGUS.
VI. ZOSTER.
VII. ESSERA.
VIII. URTICARIA.
IX. MILIARIA.
X. PETECHIÆ.

CL. I. O. III. EXANTHEMATA.

SECT. I. EXANTHEMATA CONTAGIOSA.

Plerumque semel tantum in decursu vitæ hominem infestantia (*).

G. XLVIII. VARIOLA.

Pyrexia contagiosa sæpe cum vomitu et dolore ex epigastrio presso. Tertio à febre die eruptio papularum phlegmonodearum primo in facie, dein per biduum aut triduum in manibus et reliquo corpore, quæ, spatio octo dierum, in suppurationem, et demum in crustas abeunt, sæpe cicatrices profundas, seu foveolas, in cute relinquentes. Morbus maxime hyeme infestus, sæpe longe lateque epidemice furens (**).

(*) Hæc Exanthemata antiquis Græcis æque ac Latinis incognita, a medicis Arabibus primum descripta legimus.

(**) Morbus hic veteribus incognitus, primo sese in Arabia anno ær. Chr. 572 manifestavit, inde magna strage longe lateque per Europam et dein per reliquum orbem sparsus. Miasma variolosum utplurimum vel contactu im-

Syn. Febris variolosa. *Fr. Hoffm.*

A. Small-pox.
G. La petite-vérole.
Ge. Pocken; Blattern.

Sp. 1. Variola *Regularis.*

Febris moderata, phlogosi membranæ mucosæ cutis et pustulis paucis, discretis, circularibus, pure turgidis stipata, plerumque sine ulla cicatrice relicta desquamantibus.

Syn. Variolæ regulares discretæ. *Sydenh.*
Variolæ benignæ. *Auct.*

Sp. 2. Variola *Phlegmonodes.*

Sthenopyra; pustulæ copiosæ, discretæ, phlogosi vehementiore non solum membranæ mucosæ, sed et corii substrati stipatæ, cum tumore faciei, manuum et pedum, sæpe simul cum difficultate deglutiendi. Febris secundaria, suppurationem pustularum concomitans, magna; crusta post pustulas siccatas decidua utplurimum cicatrices profundas post se relinquens.

---

mediato absorptione, vel in atmosphæra diffusum et saliva irretitum deglutitione; aut forsan etiam inspiratione corpori sano communicatur. — Infectio quomodocunque sic corpori sano communicata morbum nunquam immediate, sed generaliter nonnisi post 12 aut 14 dies producit.

Sp. 3. Variola *Septorrhepes.*

Septorrhepyra, cum pustulis numerosissimis, confluentibus, figuræ irregularis, flaccidis, parum elevatis, serum vel ichorem, loco puris, continentibus. Morbus sæpe lethalis, aut cicatrices horridas, præcipue in facie, post se relinquens.

Syn. Variolæ regulares confluentes. *Sydenh.*
——— confluentes malignæ. *Auct.*
——— Sanguineæ. *Mead.*

Sp. 4. Variola *Insita.*

Quarto aut quinto post insitionem materiæ variolosæ (vulgo inoculationem) die, vulnusculum tumens, rubens; et octavo post insitionem die, raro tardius, pyrexia levis cum eruptione papularum, cito in pustulas, utplurimum paucas et benigne suppurantes, abeunte.

Sp. 5. Variola *Vaccina.*

Quarto post insitionem materiæ vaccinæ die, quandoque tardius, rubor et tumor levis vulnusculi inflicti, accedente plerumque febre leviore; septimo aut octavo ab insitione die, papula in pustulam cito suppurantem abiens, quæ demum intra paucos dies, crusta flavescente decidua, sanatur.

G. XLIX. VARICELLA.

Post pyrexiam contagiosam leviorem, incerto die eruptio papularum, quæ in pustulas, variolæ regulari fere similes, vix in suppurationem abeuntes, sed humore fluido, qui nunquam consistentiam aut colorem puris acquirit, repletæ, postt riduum aut quadriduum squamulis deciduis, raro cicatrices post se relinquunt (*).

Syn. Variola lymphatica. *S.*

A. The chicken-pox.
G. Verolette.
Ge. Falsche Pocken.

(*) Hic morbus hominem, instar variolæ, semel tantum in vita invadens, probe a variola discreta regulari distinguendus est, utpote sæpe suspicionem suppetidans, eundem hominem bis variola laborasse.

Variola amboinensis, æque ac *Variola suilla* dicta, essentialiter a variola et varicella differunt. Prior ad syphilitidem pertinere videtur. Posterior suibus domesticis familiaris fauces præcipue occupans, morbus verminosus est, ab *Hydatide finna* dicta oriundus. Vide infra *Cachexiæ verminosæ.*

G. L.

G. L. RUBEOLA.

Pyrexia contagiosa cum symptomatibus catarrheumatis. Post frigus, calor, sitis, febris sæpe primo biduo lenis, dein ingravescens, cum sternutatione frequenti, dolore et rubore oculorum, dacryrrhoea, raucedine ac tussi sicca. Quarto vel quinto die erumpunt papulæ aut potius maculæ exiguæ, confertæ, vix supra epidermidem eminentes, primo coloris vivide rubri, post triduum in colorem profunde rubrum mutatæ, tandem in squamulas furfuraceas abeuntes. Morbus frequenter a mense Januarii usque ad solstitium æstivum epidemicus (*).

(*) Hic morbus antiquis incognitus, nonnisi versus ann. 572 ær. Chr. eodem fere tempore quo variola, primum in Arabia apparuit, inde per reliquum orbem diffusus. Miasma rubeolosum communicari videtur a viru in aëre soluto vel diffuso, et sic immediate per nares in pulmones delato; unde membrana mucosa narium, laryngis, tracheæ et pulmonum præcipue in hoc morbo afficitur.— Vix saliva irretiri virus hoc, ut variolosum, et hinc ventriculum nunquam primario, sed solum secundario afficere videtur. Medici quidam Germani cum *Rhaze* mor=

SYN. Morbilli. *Auct.*
Blactiæ.
Roseola.
El-Haspah. *Ebn Sina.*
Phœnicismus. *Ploucq.*
Febris morbillosa. *Fr. Hoffm.*

A. Measles.
G. La rougeole.
Ge. Die Masern; Rötheln.
Italis. Rosolia.

Sp. 1. Rubeola *Regularis.*

Rubeola febre miti et symptomatibus le-

---

billos, ut morbum a Rubeola distinctum, assumunt, hancque posteriorem, ut genus inter morbillos et scarlatinam intermedium considerant; et nomine *morbilli* insigniunt exanthema, maculis rubris sine tumore erysipelatoso cutis, notatum, ab *Ebn Sina El-Haspach* aut *Hhasbach* appellatum; sub nomine vero *Rubeolæ* intelligunt maculas supra cutem non eminentes, rubore et tumore erysipelatoso lato stipatas, a RHAZE *Hhannikah* appellatas. Sed cum in praxi ambos hos morbos symptomatibus iisdem catarrhalibus sæpe stipatos, eademque medendi methodo debellari observamus, eos varietate potius, quam specie aut genere diversos, esse puto. Et si posterior unquam characterem diversum, scarlatinæ magis analogum, assumit, eandem pro varietate scarlatinæ habendam esse credo, ideoque nomen *Morbilli* (quasi diceres morbus parvulus) ut vagum expunxi, et illud *Rubeolæ* magis proprium, et a *Sauvages* et *Cullen* adoptatum, retinui.

vioribus, ac papulis minimis, confluentibus, corymbosis, vix eminentibus, stipata.

Syn. Rubeola simplex seu benigna. *Auct.*

——— vulgaris. *S.*

Morbilli regulares. *Sydenh.*

Sp. 2. Rubeola *Sthenica.*

Rubeola pulsu frequenti, pleno, forti, quandoque molli, et symptomatibus catarrhi gravioribus, anxietate, dyspnœa, cataphora, et plerumque simul inflammatione faucium et deglutitione difficili, stipata; febre et tussi, sæpe usque ad desquammationem, et non raro etiam diutius, perseverantibus.

Sp. 3. Rubeola *Septorrhepes.*

Rubeola cum symptomatibus septorrhepyræ. (Vide *London medical observat. Vol. IV*).

Sp. 4. Rubeola *Variolodes* (*).

Rubeola papulis discretis, supra cutem eminentibus, notata.

Scotis. Nirles.

N. B. Post Rubeolam, etiam regularem, frequenter succedit ophthalmitis, aut pneumonitis, quæ sæpe in Phthisin pulmonalem abit.

(*) Hanc speciem nunquam vidi; sed si symptomatibus catarrhalibus, quæ characterem Rubeolæ essentialem formant, stipatur, (ut *Cel. Gruner. Morborum antiquit.* p. 64, *observavit*), ea certe ad hoc genus pertinet.

G. LI. SCARLATINA.

Pyrexia contagiosa; sæpe secundo morbi die, facie aliquantum tumente, simul in cute passim apparet rubor floridus, maculis amplis, tandem coalescentibus distinctus, et post tres quatuorve dies in squamas furfuraceas, utplurimum repetitis vicibus deciduas, abeuntibus, cum pruritu plus minusve molesto; superveniente sæpe anasarca. (*)

Syn. Porphyrisma. *Ploucq.*
Purpura scarlatina. *Burser.*
Febris scarlatina. *Sydenh.*
Rossalia. *Fr. Hoffm.*
Febris rubra. *Auct.*
Rubeola veterum. *Gruner.*

(*) Scarlatinam primus meminit *Sennertus*; a *Sydenhamo* dein et *Mortono* descripta. Hic morbus ab auctoribus pluribus cum Rubeola confusus fuit. Sed præterea quod scarlatina sæpe primo vel secundo morbi die erumpit, et Rubeola nonnisi tertio aut quarto, symptomata catarrhi hanc posteriorem a priori essentialiter distinguunt, ut supra notavi. — Scarlatina quandoque cum Rubeola complicatur, unde forsan confusio nominum apud auctores.

A. Scarlet fever.
G. Fièvre scarlatine.
Ge. Scharlachfieber.

Sp. 1. Scarlatina *Regularis.*

Scarlatina cum febre moderata, sine ulla aut cum leviore inflammatione faucium, quandoque cum ulcere uno aut pluribus veli penduli vel tonsillarum benignis, juncta.

Syn. Scarlatina benigna. *s.* simplex. *Auct.*

Sp. 2. Scarlatina *Septorrhepes.*

Septorrhepyra cum exanthemate scarlatino, faucium inflammatione ulcerosa, sæpe in gangrænam abeunte, aliisve septorrhepyræ symptomatibus stipata. Morbus maculosus vel pustularis, sæpe epidemicus. Vide etiam *Tonsillitis* et *Isthmitis septorrhepes.*

Syn. Scarlatina anginosa (*).
——— maligna.
——— cynanchica. *Cullen.*

(*) Vide *Withering* on the Scarlet Fever, *in*-8°.

SECT. II. EXANTHEMATA NON CONTAGIOSA.

Sæpius in vita eundem hominem afficere apta, et quandoque etiam sine pyrexia occurrentia.

G. LII. PEMPHIGUS.

A Gr. Πέμφιξ, vesicula, bulla : Febris bullosa, s. vesicularis (*).

Pyrexia; plerumque primo, secundo aut tertio morbi die vesiculæ, nucis avellanæ magnitudine, erumpentes in facie, aliisve corporis partibus; post aliquot dies ichorem tenuem effundentes, dein desiccantes. (**)

SYN. Febris bullosa. *Vogel* et *Wichman.*
——— pemphigodes s. Pemphix. *Auct.*
Morta. *L.*

(*) An hic morbus idem sit cum febre pemphigode (πεμφιγώδης πυρετὸς gr.) dubium est; sed nomen retinui, utpote vesiculis inflatis, qui characterem hujus morbi constituunt, apprime conveniens.

(**) An quandoque contagiosus sit, determinare non audeo. — Circa Pemphigum vide *Salabert in Medic. comment.* Vol. VI. Edinb. — De *Pemphigo chronico* Vide infra Cl. IV. O. *Cachexiæ cutaneæ.*

Morbus phlyctænoides. *Burser.*
Pemphigus. *S.*
Febris vesicularis. *Macbr.*

A. The vesicular fever.
G. Fièvre vésiculaire.
Ge. Blasenfieber.

Sp. 1. Pemphigus *Regularis.*

Eruptio vesicularum in variis corporis partibus, cum febre miti ephemera; quandoque etiam sine febre occurrens.

Sp. 2. Pemphigus *Phlegmonodes.*

Pemphigus cum symptomatibus sthenopyræ.

Sp. 3. Pemphigus *Septorrhepes.*

Pemphigus cum symptomatibus septorrhepyræ.

G. LIII. **ZOSTER, seu ZONA** (*).

A Gr. Ζωστὴρ, Ζώνη, *Hipp.* Cingulum. *s.* Zona.

Prægressis utplurimum horrore, anxietate, dolore et ardore ad præcordia, dys-

(*) Multi zonam cum erysipelate ulceroso confundunt aut pro herpetis specie habent; sed in zona pustulæ mox ab initio morbi semper elevatæ apparent, in erysipelate tardius superveniunt. In erysipelate rubor roseus summam

phoria generali, aliisve exanthematum febrilium symptomatibus, quandoque etiam nausea et vomituritione, dyspnœa, kephalalgia aut delirio, eruptio pustularum conglomeratarum in area rubicunda, partim albarum, partim rubrarum, latus unum hominis, ad mensuram aliquot digitorum transversorum, cinguli instar, ita ambiens, ut in abdomine anterius lineam albam, posterius spinam nunquam transgrediatur; idemque malum si præcordia aut thoracem occupat, anterius scrobiculum aut medium sterni, posterius spinam dorsi nunquam transiliat; protinus in phlyctænas seu vesiculas parvas, flavas aut lividas, sæpe, instar ignis, urentes ac prurientes, et post plures demum dies desquammentes, abiens.

---

cutem occupat, in zona sedes profundior sæpe panniculum adiposum afficiens. In erysipelate ulcera latius proserpunt et sæpe rebellia diu durant; in zona parva, et circumscripta, cava, brevi sanescentia et in escharas exsiccantia. In herpete exedente pustulæ minores, nunquam cinguli ordinem servantes, chronicæ sunt; zona morbus acutus est, nunquam, vel rarissime chronicus.

SYN. Zona ignea. *Fr. Hoffm.*
Ignis sacer. *Auct.*
Hieropyr. *Vog.*
Herpes Zoster. } *S.*
Erysipelas Zoster. } *S.*
——— phlyctænodes. *Cullen.*

A. Shingles.
G. Ceinture dartreuse.
Ge. Der Gürtel.

Sp. 1. Zoster *Idiopathicus.*

Ab acri corrosivo ad superficiem corporis delato ortus, utplurimum thoracis vel abdominis latus transversim, cinguli instar, afficiens; raro humerum unum, aut femur unum, vel latus capitis occupans.

N. B. EPINYCTIS varietas hujus morbi mihi esse videtur.

Sp. 2. Zoster *Symptomaticus.*

VARIAT:

α. A saburra gastrica.
β. A Veneno (Rhus toxicodendron).
γ. A rene inflammato.

G. LIV. ESSERA (*).

Prægressis plerumque horrore, æstu, sudore, kephalalgia, notalgia, pulsu accelerato, aut etiam vomitu, maculæ latæ, discretæ, coloris rubri splendentis, modo asperæ, modo glabræ, planæ, ardentes et prurientes, in manibus potissimum, sæpe etiam per totam corporis superficiem sparsæ: In quibusdam sub stragulis præcipue noctu, latissime in manibus efflorescentes, extra lectum vix apparentes; in aliis e contra in frigore magis conspicuæ, sub calore lecti disparentes, secundo aut tertio morbi die pallescentes, subsequente cnesmo et cuticulæ desquammatione. Morbus plerumque pyrexia leviore stipatus, vel etiam apyretos, eundem hominem pluries in vita invadens; quandoque per plures annos

(*) An Essera hic descripta eadem sit ac Essera *Vog.* aut Essera *S.* (Gall. *Porcelaine* dicta), aut Telephia *Ploucq.* determinare non audeo; præprimis cum morbus ab his auctoribus descriptus sæpe potius cum Urticaria convenire videatur.

omni autumno et vere regulariter recurrens (*); non raro cum saburra gastrica complicatus.

G. LV. URTICARIA.

Pyrexia ; plerumque secundo morbi die maculæ rubræ, iis ab urticatione excitatis similes, de die sæpe evanescentes, vespere cum exacerbatione et pruritu redeuntes, ac post paucos dies in squamulas minutissimas abeuntes. (**)

Syn. Febris urticata. *V.*
Exanthema urticatum. *Burser.*
Uredo. *L.*
Cnidosis. *Ploucq.*
Purpura urticata. *Junck.*
Scarlatina urticata. *S.*

A. The nettle-rash.
G. Fièvre ortiée.
Ge. Nesselauschlag.

(*) Fœminam 40 ann. novi, quæ a duobus abhinc annis regulariter, omni vere et autumno, hoc morbo laborat.

(**) An hoc exanthema unquam contagiosum sit, nondum liquet. Certe sæpius sine febre, ut morbus cutis chronicus, occurrit. Vide *Heberden in Medic. Transactions.* Lond.

G. LVI. MILIARIA.

Pyrexia plerumque asthenica, cum anxietate, frequenti suspirio, sudore olido et punctionibus cutis. Incerto morbi die cum sudore in tota corporis superficie, facie excepta, erumpunt papulæ albæ vel rubræ exiguæ, instar seminum milii, discretæ, quæ secundo post eruptionem die vesiculas humore albicante pellucido plenas formant, post biduum aut triduum sponte rumpentes et dein cito desquammantes. Morbus utplurimum symptomaticus, præcipue ex regimine calido sudorifico ortus, nunquam contagiosus observatus fuit, forsan antiquis jam cognitus (*), sed medio sæculi XVII in Saxonia a *Welschio* primo clare descriptus, Puerperis frequens cum su-

(*) An Hidroa (ἵδρωα, gr.) miliaria nostratum sint, doctioribus dijudicandum relinquo. Papulæ crystallinæ, seu Hidroa *Hipp.* in genitalibus erumpentes, certe nihil cum morbo nostro commune habent, ab humore acri ex massa humorum deposito, vel ab acri quocunque externe genitalibus applicato, et hodie sæpe a viru syphilitico adhærente, orientes.

dore serum lactis acidum spirante; non raro etiam infantibus, perversa methodo stragulis et vestibus laneis tectis, infestus.

SYN. Miliaria alba et rubra. } *Auct.*
Purpura. }
Febris purpurata rubra et alba miliaris. *Fr. Hoffm.*
——— purpurea seu miliaris. *Iunck.*
——— Miliaris. *V.*
Miliaris benigna. }
——— maligna. }
——— puerperarum. } *S.*
——— lactea. }
——— sudatoria. }
——— nova febris. *Sydenh.*
Exanthema miliare *Burser.*

A. Rash.
G. La Miliaire.
Ge. Friesel.

VARIAT pro causa remota:

α. A regimine calido sudorifico.
β. A vestibus laneis cuti immediate applicatis, præcipue in infantibus.
γ. A febre lactea.

δ. A suppressis lochiis.
ε. A blennorrhœa uterina suppressa.
ζ. A saburra primarum viarum.
η. A venenis.

G. LVII. PETECHIA.

Maculæ parvæ in superficie corporis sparsim apparentes, rubro plerumque colore, sæpe etiam livido, violaceo aut nigricante ; modo pulicum morsibus, modo lenticulis similes, planæ raro extra cutem prominentes, quandoque sine febre, frequentius cum septorrhepyra aut cholepyra junctæ. Morbus utplurimum symptomaticus, antiquis incognitus, ineunte sæculo XVI in Italia primum, dein in tota Europa notus, hodie sæpe epidemicus.

SYN. Morbus *s.* febris petechialis. *Auct.*
Peticulæ. *Burser.*
Purpura. *Gallorum*, et *Sagar.*
Febris purpura.
Lenticulæ *s.* Puncticula. *Fracast.*

CL. II. DYSECCRISES.

A Gr. Δὺς, male, difficulter, et Ἔκκρισις, excretio.

CHARACTER. Excretiones aut secretiones corporis abnormes ; copia, defectu, vel via peccantes.

ORDINES ad hanc classem pertinentes sunt :

ORDO I. APOKENOSES.
II. EPISCHESES.
III. APOPLANESES.

CL. II. O. I. APOKENOSES.

GRAECIS. ἈΠΟΚΕΝΏΣΕΙΣ, ab Ἀπὸ, ex, et Κένωσις, evacuatio.

CHAR. SANGUINIS, muci, puris, bilis, alvi, urinæ, sudoris, aliusve humoris fluxus, seu evacuationes abnormes.

SYN. Apocenoses. *V.* et *Cull.*
Fluxus. *S.* et *Sag.*
Hæmorrhagiæ et profluvia. *Cull.*
Morbi evacuatorii. *L.*

SECT. I. APOKENOSES ACTIVÆ.

Fluxus sanguinis, aliusve humoris confertim et cum impetu prodeuntes, plerumque phlogosi locali, seu calore et dolore partis affectæ, non raro etiam pyrexia symptomatica, stipati.

Genera ad hunc ordinem spectantia sunt:

GENUS I. HÆMORRHAGIA.
II. BLENNORRHAGIA.
III. PYORRHAGIA.
IV. CHOLERRHAGIA.
V. MELÆNORRHAGIA.
VI. URORRHAGIA.

SECT. II. APOKENOSES PASSIVÆ.

Sanguinis, aliusve humoris fluxus abnormes, profusi, sine phlogosi aut dolore locali; quandoque cum pulsu accelerato, parvo et debili juncti.

G. VII. HÆMORRHŒA.
VIII. BLENNORRHŒA.
IX. DIARRHŒA.
X. URORRHŒA.
XI. HYPERHIDROSIS.
XII. OTORRHŒA.
XIII. DACRYRRHŒA.
XIV. SIALORRHŒA.
XV. DYSODIA.
XVI. PHYSEPSOPHIA.

SECT. III. APOKENOSES ECLYTICÆ.

Excernendorum fluxus seu evacuationes invitæ, ex debilitate aut paralysi partis oriundæ.

G. XVII. GALACTACRASIA.
XVIII. SPERMACRASIA.
XIX. URACRASIA.
XX. SCORACRASIA.

CL. II. O. I. APOKENOSES.

SECT. I. APOKENOSES ACTIVÆ.

G. LVIII. HÆMORRHAGIA.

Gr. Αἱμοῤῥαγία ab Αἷμα, sanguis, et Ῥήγνυμαι, erumpo.

Sanguinis profluvium activum, seu sanguis immodica quantitate confertim et cum impetu prodiens, potissimum ex arteria, vel etiam ex vena majori in quacunque corporis parte; frequenter cum pulsu accelerato, forti, quandoque etiam duro.

Syn. Hæmorrhagiæ. *Auct.*
Sanguifluxus. *S. V. Sag. Cull.*

A. Hæmorrhages; flux of blood.
G. Hémorrhagies.
Ge. Blutflüsse.

Variat pro causa remota:

α. A vulnere, læsione, ruptura, vel contusione aut erosione arteriæ, aut etiam trunci venæ majoris (*Traumatica*).

β. A plethora generali vel topica (*Plethorica*).

γ. A sanguine ex variis causis rarefacto.

δ. A sanguine majori vi in vasa impulso.

ε. A crisi febrili (*Critica*).

ζ. A debilitate extremitatum arteriarum (*Asthenica*).

η. A sanguinis dissolutione morbosa, ut in septorrhepyra, peliosi, scorbuto etc.

θ. Ab evacuationibus sanguinis consuetis suppressis (*Vicaria*).

Sp. 1. Hæmorrhagia *Narium*.

Sanguinis profluvium activum ex nare uno vel utroque; dolor vel gravitas capitis; rubor faciei et oculorum; sensatio repletionis vel titillationis in naribus; pulsatio frequens et fortis arteriæ temporalis.

Syn. Rhinorrhagia sanguinea (a gr. Ῥιν, nasus).
Rhinorrhagia. *Ploucq.*
Epistaxis. *V.* et *Cull.*

A. Violent bleeding, or hæmorrhage from the nose.

G. Hémorrhagie du nez.

Ge. Heftiges Nasenbluten.

Variat pro causa remota,

Ut Hæmorrhagia in genere, ac præterea:

α. Ab irritatione topica narium.

β. Ab ulcere, ozæna, carkinomate narium.

γ. A carie ossium.

δ. A polypo narium.

ε. A compressione vasorum colli.

Sp. 2. Hæmorrhagia *Alveolaris.*

Profluvium sanguinis activum, ex læsa aut rupta arteria alveoli dentis.

SYN. Kyttarrhagia (a gr. Κυττάριον, alveolus dentis).

Odontorrhagia. *Auct.* (A gr. Ὀδοὺς, dens).

VARIAT, ut Hæmorrhagia in genere.

Sp. 3. Hæmorrhagia *Pulmonum.*

Profluvium sanguinis activum ex pulmone: Ejectio sanguinis copiosi, floridi, sæpe spumosi per os cum tussi ac titillatione in faucibus; frequenter simul dyspnœa, oppressio, dolor et calor in pectore, genarum rubor, et sapor in ore salinus.

SYN. Pneumonorrhagia sanguinea (a gr. Πνεύμων, pulmo).

Sputum sanguinis. *Auct.*

Hæmoptysis seu hæmoptoë (*).

(*) A Gr. Αἱμόπτυσις, ab Αἷμα, sanguis, et Πτύσις, sputum: Sputum sanguinis non differt a pneumonorrhagia seu hæmorrhagia pulmonum, nisi quantitate sanguinis ejecti minore.

A. Spitting of blood.
G. Crachement de sang.
Ge. Lungenblutfluss ; Bluthusten ; Blutspeyen.

VARIAT sede :

Sanguine veniente ex larynge.
——————— trachea.
——————— bronchiis.
——————— pulmonibus.

I. Idiopathica.

VARIAT pro causa remota ,

Ut hæmorrhagia in genere; ac præterea:

α. A vitio hæreditario.
β. Ab animi pathematibus.
γ. Ab ulcere pulmonum (*Phthisica*).
δ. A concretionibus duris, calculosis, in pulmone.
ε. A vermibus in pulmone nidulantibus (Vid. *Schenkii observationes ;* ac *Percival* essays).
ζ. A valida exertione pulmonum : cursu, declamatione, tussi violenta, cantu, inflatione instrumentorum musicorum, inflatione operariorum qui vitra cava conficiunt.
η. Ab irritatione pulmonum (*Erethistica*):

a. Ex vaporibus acribus aut exhalationibus irritantibus.

b. Ex acido nitroso majori copia inspirato.

c. Ex pulvere vitri inspirato, præcipue ab iis qui vitra sculpunt aut poliunt.

d. Ex ingestis acribus: Ab usu muriatis hydrargyri oxygenati, lytta vesicatoria interne assumpta, aut a venenis irritantibus deglutitis.

ϑ. A compressione violenta pulmonum:

a. Ex mala ossium thoracis conformatione.

b. Ex malo situ corporis habituali, quo pectus comprimitur.

c. Ex hydrothorace.

d. Ex hydrope abdominis.

e. Ex graviditate.

f. Ex tumore viscerum abdominalium.

ι. Ab atmosphæræ pondere in pulmones diminuto, præcipue in montibus altioribus.

κ. A vulnere, ictu, concussione, aliave vi externa illata (*Traumatica*).

λ. Ab apoplanesi varia:

a. Ex metastasi febrili, exanthematica.

b. Ex menstruis, hæmorrhoidibus, aliisve evacuationibus sanguinis consuetis cessantibus vel suppressis.

c. Ex galactoplania.

d. Ex podagra aberrante.

e. Ex morbis cutis suppressis.
f. Ex ulcere aut fonticulo incaute siccato.
g. Ex Blennorrhœa uterina habituali, subito suppressa.

II. Symptomatica.

Variat:

α. A pneumonitide, pleuritide. (*Febrilis*).
β. A catarrho. (*Catarrhalis*).
γ. A rubeola, variola etc. (*Exanthematica*).
δ. A scorbuto. (*Scorbutica*).
ε. A vitio scrofuloso. (*Scrofulosa*).
ζ. A morbis cordis.
η. Ab anevrismate rupto.
ϑ. Ab emphraxi viscerum abdominalium. (*Emphractica*).

Sp. 4. Hæmorrhagia *Uterina*.

Fluxus sanguinis immodicus activus ex utero aut vagina; plerumque phlogosi aut irritatione locali, dolore dorsi, lumborum, ventris, et pulsu accelerato, stipatus.

Huc etiam pertinent:

Lochiorrhagia (a gr. Λόχια s. Λόχεια, lochia).
Gall. Vuidange.

Fluxus seu excretio sanguinis eorumve fluidorum quæ post exclusionem fœtus et secundinarum in puerpera, ex utero excernuntur.

MENORRHAGIA (a gr. Μὴν, μηνὸς, mensis, unde Ἐμμήνια, Ἐπιμήνια, Καταμήνια, menstruatio).

Menstrua nimia, seu menstrui sanguinis excretio profusa et cum impetu prodiens.

SYN. Hysterorrhagia sanguinea, (a gr. Ὑστέρα, uterus).
Metrorrhagia. *Ploucq.*
Menorrhagia *S. L. V. Cull.*
Lochiorum fluxus immodicus. *Auct.*
Abortus, seu abortio. *S. V.*

A. Hæmorrhage of the womb.
G. Hémorrhagie de la matrice.
Ge. Mutterblutfluss; Mutterblutsturz.

VARIAT pro causa remota,

Præter causas hæmorrhagiæ generales:

α Ab irritatione uteri locali (*Erethistica*):
a. Ex venenis aut medicamentis, uterum irritantibus, assumptis.
b. Ex abusu spirituosorum habituali.
c. Ex pessariis acribus vaginæ applicatis.
d. Ex coitu nimio, aut ex aselgotripsia.
e. Ex polypo uteri vel vaginæ.
f. Ex ulcere aut carkinomate uteri.
g. Ex sanguine grumoso in utero detento.

h. Ex fæcibus duris in intestino recto accumulatis.

Hæmorrhagia uteri GRAVIDARUM præterea variat :

α. A præmatura fœtus exclusione, seu abortione.

β. A placenta orificio uteri interno accreta.

γ. A malo situ uteri vel fœtus ante partum.

δ. A partu difficili, aut nimis citato.

ε. Ab adhæsione placentæ partiali.

ζ. A solutione placentæ violenta, ante vel post partum.

η. A vi quacunque utero gravido externe illata.

ϑ. A sanguine in uterum post partum subito irrumpente.

ι. A fasciis abdomini arctioribus post partum applicatis.

Sp. 5. Hæmorrhagia *Intestinorum*.

Profluvium sanguinis activum ex ventriculo, hepate, intestinis, aut peculiariter ex recto, per anum.

SYN. Enterorrhagia sanguinea. (a gr. Ἔντερα, intestina).

Archorrhagia sanguinea. (a gr. Ἀρχὸς, intestinum rectum).

Proctorrhagia sanguinea. (a gr. Προκτὸς, anus).

Variat pro causa remota,

Præter causas hæmorrhagiæ generales :

α. A venenis aut drasticis assumptis.
β. A dysenteria.
γ. A vermibus.
δ. Ab ulcere intestinorum.
ε. A polypo aut carkinomate recti.
ζ. A ruptura arteriarum, vel etiam venarum aut varicum majorum.
η. Ab erosione vasorum hepatis.
ϑ. Ab artevrismate rupto.

Sp. 6. Hæmorrhagia *Vasorum sanguineorum.*

Profluvium sanguinis activum ex arteria vel etiam ex vena majori vulnerata, erosa vel rupta.

Syn. Angiorrhagia. (a gr. Ἀγγεῖον, vas).

G. LIX. BLENNORRHAGIA.

A Gr. Βλέννα, mucus, et Ῥήγνυμαι : Mucifluxus activus.

Secretio et excretio muci viridescentis, flavescentis aut puriformis abnormis,

cum phlogosi membræ mucosæ locali, in quacumque corporis parte externe patente.

Sp. 1. Blennorrhagia *Narium* (*Rhinorrhagia mucosa*).

Vide *Catarrheuma.*

Sp. 2. Blennorrhagia *Pulmonum* (*Pneumonorrhagia mucosa*).

SYN. Catarrhus chronicus. } *Auct.*
——— inveteratus.
Phthisis mucosa.
——— pituitosa.

Vide *Catarrhus* et *Phthisis.*

Sp. 3. Blennorrhagia *Oculorum.*

Sp. 4. Blennorrhagia *Aurium* (*Otorrhagia mucosa.*)

Fluxus materiæ puriformis ex aure una vel utraque, cum dolore acuto, phlogosi, aut irritatione locali.

VARIANT pro causa remota:

α. Ex inflammatione topica.
β. Ex læsione mechanica.
γ. Ex dentitione.
δ. Ex metastasi febrili aut exanthematica.

ε. Ex blennorhagia syphilitica genitalium suppressa.

ζ. Ex achoribus, tinea, aliisve morbis cutis suppressis.

Vide etiam *Ophthalmitis*, *Otitis*, *Otalgia*, *Otorrhœa*.

Sp. 5. Blennorrhagia *Urethralis*.

Fluxus materiæ puriformis flavo-viridescentis ex urethra cum phlogosi membranæ mucosæ urethræ: dolor et ardor in mingendo; dysuria; corporis cavernosi urethræ turgescentia; et in viris erectiones colis solito frequentiores et summe dolorificæ. Morbus quandoque cum ulcere urethræ complicatus.

SYN. Urethrorrhagia mucosa.
Urethritis blennodes.
Gonorrhœa virulenta. *Auct.*

A. A clap; virulent gonorrhœa.
G. Chaude-pisse; gonorrhée virulente.
Ge. Tripper.

VARIAT pro causa remota:

α. Syphilitica (*).

(*) Blennorrhagia syphilitica, leprosa, herpetica, est primaria vel secundaria; oriunda vel a viru partibus genitalibus immediate per coitum aut per quemvis alium modum externe applicato; vel a viru ex massa humorum ad urethram deposito.

β. Leprosa.

γ. Herpetica.

δ. Rheumatica.

ε. Podagrica.

ζ. Hæmorrhoidalis vicaria.

η. Ab ascaridibus in recto aut vagina nidulantibus.

ϑ. A dentitione difficili.

ι. Ab acri interne assumpto.

κ. Ab acri quocumque externe urethræ adplicato.

λ. A vi aut irritatione mechanica.

Sp. 6. Blennorrhagia *Balani*.

Fluxus materiæ puriformis ex superficie interna præputii, aut ex glande, præcipue ex corona glandis, cum phlogosi membranæ mucosæ harum partium.

SYN. Balanorrhagia mucosa.
Balanitis blennodes.

VARIAT pro causa remota,

Ut blennorrhagia urethræ.

Sp. 7. Blennorrhagia *Vaginalis*.

Fluxus materiæ flavo-viridescentis puriformis, sæpe acris, erodentis ex vulva, cum phlo-

gosi membranæ mucosæ vaginæ aut orificii vulvæ, ardore in mingendo, ac dysuria.

Syn. Koleorrhagia mucosa.
Koleositis blennodes (a gr. Κολεὸς, vagina).

Sp. 8. Blennorrhagia *Uterina.*

Fluxus materiæ flavo-viridescentis puriformis, sæpe acris et excoriantis ex vulva, cum phlogosi membranæ mucosæ cavum uteri investiente, atque dolore gravativo lumborum et hypogastrii, ac plerumque cum dysuria.

Syn. Hysterorrhagia mucosa.
Hysteritis blennodes.
Fluor albus malignus. *Auct.*
———— calidus. *Darwin.*
Leucorrhœa calida. *Auct.*

Variat pro causa remota,
Ut Blennorrhagia urethralis.

Complicatur quandoque:

α. Cum ulcere uteri aut vaginæ.
β. Cum polypo uteri aut vaginæ.
γ. Cum skirrho aut carkinomate uteri.
δ. Cum prolapsu uteri vel vaginæ.
ε. Cum vitio ovariorum.
ζ. Cum vitio cachectico: syphilitico, herpetico, scrofuloso, podagrico etc.

Sp. 9. Blennorrhagia *Vesicalis.*

Fluxus seu excretio muci copiosa ex membrana mucosa vesicæ urinariæ cum dysuria; urina turbida, sedimentum album vel puriforme copiosum deponens, sæpe cum tenesmo, febre hectica, marcore.

Syn. Kystirrhagia mucosa.
Kystitis blennodes.
Cystirrhagia. *Auct.*
Catarrhus vesicæ. *Lieutaud.*
Rheumatismus vesicæ. *Auct.*
Dysuria mucosa vel pituitosa. *Cull.*
——— rheumatica.
Rheuma vesicæ. *Stoll.*
Glus. *L.*
Rarus vesicæ morbus. *Fr. Hoffm.*

Variat pro causa remota:

α. Ab arthritide rheumatica vel podagrica retrocedente.
β. A podagra aberrante.
γ. Ab hæmorrhoidibus mucosis aberrantibus.
δ. A calculo vesicam irrritante.
ε. A vitio prostatæ.
ζ. A stenosi urethræ.
η. Ab acribus irritantibus interne assumptis.

ϑ. Ab

ϑ. Ab acri quocunque ex massa humorum ad vesicam deposito.

ι. Ab acribus externe applicatis.

Sp. 10. Blennorrhagia *Recti, vel Ani.*

Excretio materiæ albæ chyliformis, aut mucosæ puriformis ex ano, frequenter et subito urgens, quandoque striis sanguineis notatæ, cum tenesmo, et marasmopyra, subsistente excretione fæcum naturali; quandoque cum cnesmo intolerabili ad anum, vel etiam cum dysuria et dolore violento vesicæ.

Syn. Archorrhagia mucosa.
Proctorrhagia mucosa.
Architis blennodes.
Proctitis blennodes.
Morbus cœliacus. *Auct.*
Morbus mucosus peculiaris.
Rœderer et *Wagler.*

Variat pro causa remota:

α. A vitio peculiari membranæ mucosæ recti.

β. Ab arthritide rheumatica retrocedente.

γ. A podagra aberrante.

δ. A viru syphilitico recto vel ano applicato.

ε. A viru herpetico, aliove acri immediate applicato, vel ex massa humorum ad rectum vel anum deposito.

ζ. Ab hæmorrhoidibus mucosis. (*)

η. A polypo recti.

ϑ. A carkinomate recti.

ι. Ab ascaridibus.

N. B. Blennorrhagia ani quandoque complicatur cum pyorrhagia ani, ex ulcere intestinorum aut fistula interna recti, orta.

G. LX. PYORRHAGIA.

A. Gr. Πύον, pus.

Puris seu materiæ purulentæ excretio ex quacunque corporis parte externe patente. Morbus post phlogosin ex apostemate rupto aut ex ulcere ortus, plerumque dolore locali ac febre hectica stipatus.

Sp. 1. Pyorrhagia *pulmonum* (*Pyoptysis*).

Excretio materiæ purulentæ ex pulmone aut bronchiis per sputa, cum Marasmopyra.

Vide *Phthisis purulenta.*

(*) *Hæmorrhoides mucosæ* chronicæ indolentes ad Sect. sequentem *Apokenos.* pertinent. Vide *Blennorrhæa.*

Sp. 2. Pyorrhagia *Renum*, *Vesicæ vel urethræ.*

Excretio puris cum urina : Morbus plerumque ex nephritide, kystitide aut urethritide prægressa et in apostema abeunte, vel ex calculo renum aut vesicæ, oriundus.

SYN. Pyuria. *Auct.*
Nephrorrhagia purulenta.
Kystirrhagia purulenta.
Urethrorrhagia purulenta.

Sp. 3. Pyorrhagia *Ani.*

Excretio puris per anum. Morbus ex apostemate rupto aut ex ulcere intestinorum, sæpius intestini recti, ortus, aut etiam ex phlogosi et apostemate viscerum abdominalium prægressis, et pure inde in cavum canalis intestinalis effuso.

SYN. Pyochezia. *Ploucq.*
Archorrhagia purulenta.
Proctorrhagia purulenta.

Sp. 4. Pyorrhagia *uteri vel vaginæ.*

Fluxus seu excretio puris vel ichoris per vulvam, ex phlogosi et apostemate uteri vel

vaginæ prægressis; vel etiam ex ulcere corrodente, aut carkinomate uteri ortus.

Syn. Hysterorrhagia purulenta.

Sp. 5. Pyorrhagia *Mammarum.*

Puris ex papillis mammarum effluxus, a suppuratione glandularum vel membranæ cellularis mammarum, ortus.

Sp. 6. Pyorrhagia *Aurium.*

Vide *Otorrhœa.*

Sp. 7. Pyorrhagia *Narium.*

Vide *Ozæna.*

Sp. 8. Pyorrhagia *Cutanea.*

Excretio puris profusa ex ulcere cutis, proprie sic dictæ, vel ex apostemate glandulæ cutaneæ rupto.

Sp. 9. Pyorrhagia *Fistularis.*

Vide *Fistula.*

Pyorrhagiae *variant pro causa rémota,*

Fere ut inflammationes prægressæ, ex quibus ortum ducunt.

G. LXI. CHOLERRHAGIA.

Gr. Χολέρα, a χολὴ, bilis fluxus: Fluxus bilis activus.

Vomitus, simul ac dejectiones per alvum, materiæ flavæ aut viridis, quandoque summe acris, copiosæ, frequentes; pneumatosis; anxietas; tormina; surarum spasmata, et prostratio ingens virium; pulsu plerumque simul multum accelerato.

Syn. Cholera morbus. *Auct.*

A. Cholera morbus.
G. Cholera morbus.
Ge. Gallruhr.

Sp. 1. Cholerrhagia *Æstiva.*

A bile quantitate aut qualitate peccante in intestina effusa; plerumque ex frigore humido corpori æstuanti applicato, orta. Morbus præprimis adulta æstate frequens, acutissimus, et quandoque intra paucas horas lethalis.

Sp. 2. Cholerrhagia *Accidentalis.*

Variat:

α. A venenis aut medicamentis acribus, drasticis assumptis.

G. LXIII. URORRHAGIA.

A. Gr. Οὖρον, urina : Fluxus urinæ activus.

Urinæ, plerumque crasi sua essentialiter mutatæ, excretio frequens, profusa, potum assumptum copia multum excedens, cum polydipsia, bulimia, et marasmopyra (*).

Syn. Diabetes. *Auct.*
Dipsacus (gr. Διψακὸς).
Diuresis. *V.*

A. Diabetes.
G. Diabète.
Ge. Harnfluss; Harnruhr.

Sp. 1. Urorrhagia *Mellita.*

Secretio et excretio profusa, chronica urinæ dulcis, evaporatione substantiam salinam saccharinam, flavescentem, copiosam largiens, accedente plerumque emaciatione corporis et marasmopyra (**).

---

evacuatio omnis cesset, dein rursus revertat, excrementis sæpe multo pejoribus.

(*) An hic morbus rectius ad dyspepsiam aut ad atrophiam referendus sit, aliis dijudicandum relinquo.

(**) *E. Darwin*, in *Zoonomia* V. I. Sect. 29, casum refert viri hoc morbo in Nosoc. Stafford. laborantis, qui

SYN. Diabetes mellitus. *Auct.*
——— anglicus. *Willis* et *Mead.*
——— febricosus. *Sydenh.*

Sp. 2. Urorrhagia *Chylosa.*

Urinæ, coloris lactei, excretio profusa, plerumque cum marasmopyra.

Sp. 3. Urorrhagia *Salsa.*

Urinæ limpidæ, salsæ, excretio profusa, cum febre.

N. B. *Urorrhagia* quandoque complicatur cum hæmaturia.

Catarrheuma, et *Dysenteria*, utpote phlogosi membranæ mucosæ et pyrexia semper stipata, rectius ad pyrexias referuntur. Vide supra Cl. I, O. II, Sect. II.

Hyperemesia, Vide Cl. III. O. II. *Spasmi.*

---

præter immoderatum potum cerevisiæ tenuis; edebat plus duplum quam homo sanus, et qui sedecim ad octodecim libras urinæ quotidie evacuabat, ex cujus singula libra evaporata unciam unam substantiæ saccharinæ obtinuit, hinc uncias sedecim ad octodecim ejusdem de die. — Vera et stupenda sacchari fabrica!

SECT. II. APOKENOSES PASSIVÆ.

G. LXIV. HÆMORRHŒA.

A Gr. Αἷμα, sanguinis, et ῥρέω, fluo.

Fluxus sanguinis immodicus, passivus, plerumque ex vena, sine dolore aut phlogosi locali, et sæpe cum pulsu normali, vel debili. (*)

HÆMORRHOEÆ variant pro causa remota, fere ut Hæmorrhagiæ.

Sp. 1. Hæmorrhœa *Narium.*

Stillicidium sanguinis e naribus profusum sine dolore aut febre.

SYN. Rhinorrhœa sanguinea.

VARIAT pro causa remota,

Fere ut Rhinorrhagia, præterea:

α. Ab hirudine in faucibus hærente.

(*) Stillicidium seu fluxus moderatus sanguinis e naribus, vasis hæmorrhoïdalibus, vel utero morbus non est, sed potius evacuatio sæpe salutaris, nullo modo medicamentis coërcenda.

β. A scorbuto, peliosi.

Sp. 2. Hæmorrhœa *Stomatica.*
A Gr. Στῶμα, os.

Sanguinis, utplurimum nigri aut grumosi, ex gingivis, faucibus, vel pharynge excretio profusa, screatu frequenti vel etiam tussi ex ore rejecta. Morbus plerumque symptomaticus ex cachexia scorbutica, vel ex vitio locali, ut Hirudine in faucibus affixa, vel a vi externa, ortus.

Syn. Stomatorrhœa sanguinea.
Stomacace. *S.*

Sp. 3. Hæmorrhœa *Ventriculi.*

Vomitus sanguinis utplurimum nigri, grumosi, plus minusve copiosi.

Syn. Hæmatemesis (ab αἷμα, sanguis, et εἴμετος, vomitus). *Auct.*
Vomitus cruentus. *Auct.*

Variat pro causa remota :

α. A varicibus vasorum brevium ruptis.
β. Ab emphraxi splenis, hepatis aut pancreatis.
γ. A melæna.
δ. Ab hæmorrhoidibus vel menstruis suppressis.

ε. Ab arteuvrismate rupto.

ζ. A venenis aut medicamentis drasticis aliisve acribus deglutitis.

η. A vulnere, ictu, contusione, concussione.

ϑ. Ab hirudine deglutita.

ι. A cachexia scorbutica.

Sp. 4. Hæmorrhœa *Pulmonalis.*

Sanguis floridus vel nigricans tussi per os ejectus, plerumque cum anxietate, sensu ponderis aut doloris obtusi in quadam parte thoracis, ac pulsu utplurimum parvo, debili (*).

Syn. Pneumonorrhœa sanguinea.
Hæmoptysis.
Hæmoptoë venosa. *Darwin.*

Variat pro causa remota,

Fere ut pneumonorrhagia sanguinea ac præterea :

α. A compressione pulmonum :
1. Ex mala pectoris conformatione.

(*) In praxi summi momenti est, hæmorrhoeam pulmonalem ab hæmorrhagia pulmonum rite distinguere. Prior deobstruentibus et eccoproticis debellanda, posterior antiphlogisticis.

2. Ex situ pravo quorumdam artificum, sutorum, scriptorum etc.
3. Ex hydrothorace, ascite, graviditate.

β. Ab emphraxi aut tumore viscerum vel vasorum abdominalium.

γ. A varicibus in cavo thoracis ruptis.

δ. Ab evacuationibus sanguineis consuetis suppressis.

ε. A dissolutione sanguinis in septorrhepyra, scorbuto, peliosi.

Sp. 5. Hæmorrhœa *Viarum urinariarum.*

Sanguis purus, vel grumosus per se, aut cum urina mixtus, ex renibus vel ex vesica urinaria per orificium urethræ excretus.

Syn. Hæmaturia. *Auct.* (*)

Variat sede:

Sanguine veniente ex renibus.
———————— ex ureteribus.
———————— ex vesica.
———————— ex collo vesicæ.
———————— ex urethra.

(*) *Hæmaturia vaccarum* frequens morbus est, ex plantis acribus ingestis ortus, et opio ac sulfate ferri debellandus.

Variat pro causa remota:

α. A venenis vel medicamentis drasticis, aut diureticis violentis assumptis.

β. A motu corporis violento, præcipue equo, aut rheda.

γ. A calculo.

δ. A vulnere, lapsu, ictu, etc.

ε. Ab hæmorrhoidibus aut menstruis suppressis.

ζ. A dissolutione sanguinis in septorrhepyra, variola, scarlatina, scorbuto, peliosi.

Sp. 6. Hæmorrhœa *Uterina.*

Fluxus sanguinis, præcipue menstruorum aut lochiorum, utplurimum nigri, grumosi, immodicus ex utero aut vagina, sine dolore aut phlogosi locali, plerumque cum pulsu frequente, parvo et debili, aliisve debilitatis generalis symptomatibus.

Syn. Hysterorrhœa sanguinea.
Menorrhœa.
Menses nimii.
Fluxus menstruorum aut catameniorum immodicus.
Lochiorrhœa.
Lochia nimia.
} *Auct.*

Variat pro causa remota:

α. A debilitate uteri.
β. A polypo vaginæ vel uteri.
γ. Ab ulcere aut carkinomate uteri.
δ. A prolapsu uteri vel vaginæ.
ε. A pessariis irritantibus vaginæ immissis.
ζ. A fluxu hæmorrhoidum suppresso.
η. A compressione venarum per tumores vicinos.
ϑ. Ab accumulatione fæcum in recto.
ι. A dissolutione sanguinis in septorrhepyra, scorbuto, peliosi.

Variat prœterea in Puerperis:

α. A spasmo uteri.
β. Ab adhæsione placentæ partiali.
γ. A malo situ orificii uteri instante partu.
δ. A paralysi aut ex defectu contractilitatis vasorum uteri.
ε. A fasciis abdomen nimis stringentibus.
ζ. A febre puerperarum asthenica.

Sp. 7. Hæmorrhœa *Vasorum hœmorrhoidalium.*

Sanguinis fluxus ex ano immodicus, ex ruptis varicibus, aut vasis hæmorrhoidalibus, sine dolore aut phlogosi locali, plerumque cum

pulsu debili, aut molli, frequenter periodice recurrens (*).

Syn. Archorrhœa sanguinea.
Proctorrhœa sanguinea.
Fluxus hæmorrhoidalis.
Hæmorrhois cruenta.
Hæmorrhoides nimiæ fluentes. } *Auct.*

A. Bleeding piles.
G. Des hémorrhoïdes fluentes.
Ge. Goldaderfluss.

Variat pro causa remota,

Ut hæmorrhœa in genere, ac præterea:

α. A plethora generali vel topica.
β. A dispositione hæreditaria.
γ. A vita sedentaria.
δ. Ab emphraxi vasorum aut viscerum abdominalium.
ε. A compressione vasorum recti:
ex graviditate.
ex tumoribus vicinis.
ζ. Ab ulcere, polypo, aut carkinomate recti.
η. A vermibus in recto nidulantibus.

(*) Hæmorrhoea vasorum hæmorrhoidalium sollicite distinguenda est ab hæmorrhagia aut hæmorrhœa ventriculi, intestinorum; æque ac a melænorrhagia, cum qua posteriore tamen sæpe complicatur.

ϑ. Ab

ϑ. Ab hirudine in anum irrepente.

ι. Ab acri dysenterico aliove, corrodente.

κ. A vulnere, ruptura, aliave vi externa illata.

Sp. 8. Hæmorrhoea *Urethræ.*

Fluxus sanguinis passivus ex urethra.

Syn. Urethrorrhœa sanguinea.

Variat pro causa remota :

α. Ex violenta colis erectione.

β. Ex phlogosi urethræ et inde nata erectione colis violenta, et dolorifica.

γ. A vulnere, læsione aut ulcere urethræ.

δ. A varicibus colli vesicæ ruptis.

ε. A vasis hæmorrhoidalibus turgidis, cum urethra communicantibus (*vicaria*).

Sp. 9. Hæmorrhoea *Vasorum.*

Fluxus sanguinis immodicus ex vena vulnerata, rupta aut erosa, et per orificia varia in superficie corporis externe patentia excreti, aut in cavum abdominis, thoracis, vel enkephali effusi.

Syn. Angiorrhœa. *Auct.*

G. LXV. BLENNORRHOEA.

A Gr. Βλιννα, mucus, a ῥέω, fluo: Mucifluxus passivus.

Muci albi, limpidi, vel flavescentis puriformis ex quancunque corporis parte,

fluxus seu excretio profusa, sine pyrexia, phlogosi aut dolore locali.

Sp. 1. Blennorrhœa *Aurium.*

Vide *Otorrhœa mucosa.*

Sp. 2. Blennorrhœa *Pulmonum.*

Syn. Pneumonorrhœa mucosa.
Phthisis mucosa *s.* pituitosa.
Catarrhus chronicus.

Sp. 3. Blennorrhœa *Vesicalis.*

Muci albi vel puriformis ex vesica, vel ex vasis hæmorrhoidalibus in vesicam aut in collum vesicæ patentibus, per urethram cum urina excretio passiva.

Syn. Kystirrhœa mucosa.
Blennuria.

Sp. 4. Blennorrhœa *Uteri vel vaginæ.*

Syn. Hysterorrhœa mucosa.
Leucorrhœa. *Auct.*
Fluor albus benignus. *Auct.*
———— frigidus. *Darwin.*

A. The whites.
G. Des fleurs blanches; gonorrhée bénigne.
Ge. Der weisse fluss.

Sp. 5. Blennorrhœa *Urethralis.*

Syn. Urethrorrhœa mucosa.
Gonorrhœa benigna. *Auct.*

A. Gleet.
G. Gonorrhée bénigne.
Ge. Nachttripper.

Sp. 6. Blennorrhœa *Recti vel ani.*

Syn. Archorrhœa mucosa.
Proctorrhœa mucosa.
Hæmorrhoides mucosæ.

Vide etiam *Blennorrhagia recti.*

N. B. Bennorrhoeae variant fere ut Blennorrhagiæ.

G. LXVI. DIARRHŒA.

Gr. Διάῤῥοια, a διὰ, per (subintelligendo alvum) et ῥέω, fluo : Fluxus alvi.

Dejectiones frequentes, copiosæ, plus minusve liquidæ per anum, ex motu peristaltico intestinorum aucto, sine febre aut phlogosi.

Syn. Alvifluxus.
Fluxus ventris. } *Auct.*
Ventris profluvium.

A. Diarrhœa; looseness.
G. Diarrhée; dévoiement.
Ge. Durchfall; Bauchfluss.

Sp. 1. Diarrhœa *Saburralis*.

Fluxus ventris ex ingluvie, crapula, aut ex ingestis pinguibus, rancidis, indigestibilibus, vel ex sordibus in ventriculo aut intestinis collectis, ortus.

Sp. 2. Diarrhœa *Biliosa*.

Dejectiones frequentes, sæpe torminosæ, flavescentes, viridescentes aut nigricantes ex bile quantitate majori, vel qualitate solito acriori, in cavum intestinorum effusa.

Sp. 3. Diarrhœa *Acida*.

Dejectiones frequentes, sæpe torminosæ, viridescentes, porraceæ, spumosæ, mucosæ, cum fæcibus. — Morbus præcipue infantibus sub dentitione, aut acido laborantibus, sed quandoque etiam adultis pyrosi, herpete vel dyspepsia afflictis infestus, sæpe cum aphthis in ore aut circa anum complicatus.

Sp. 4. Diarrhœa *Rheumatica*.

Dejectiones frequentes, liquidæ, serosæ, mucosæ, torminosæ. Morbus utplurimum ex tranpiratione suppressa, vel ex aëre frigido aut

humido ventri incaute admisso, vel ex haustu frigidæ æstuante corpore deglutito, vel ex aqua frigida ventri applicata, aut ex pedibus nudis pavimento frigido expositis, ortus (*).

Sp. 5. Diarrhœa *Critica*.

Dejectiones pultaceæ, fæculentæ, frequentes, sub finem febrium potissimum ortæ cum evidente ægri levamine. — Quandoque etiam diarrhœa critica, aquosa vel serosa, sponte orta, hydropem aufert; idem etiam quandoque accidit ex podagra retrocedente, vel ex variola suppurante, aut ex pure alibi absorpto et per intestina diarrhœa critica evacuatis.

Sp. 6. Diarrhœa *Erethistica*.

Fluxus ventris ex irritabilitate morbosa intestinorum connata vel acquisita, aut ex irritamento intestinorem chemico vel mechanico, aut demum ex secretione morbosa vasorum, aut glandularum canalis intestinalis, vel hepatis aut pancreatis, ortus.

(*) Hæc diarrhœa sollicite distinguenda est a dysenteria rheumatica seu rheumatismo intestinorum. (Rheuma gastros *Gal.*); præprimis cum *Sauvages* hos morbos male confundit.

VARIAT pro causa remota:

α. Ab ingestis esculentis vel potulentis quantitate, vel qualitate peccantibus.

β. A medicamentis drasticis assumptis.

γ. A venenis acribus deglutitis.

δ. Ab usu hydrargyri interno vel externo.

ε. A saliva acri sub ptyalismo, vel ab infantibus sub dentitione, deglutita.

ζ. Ab aphthis, excoriatione, aut ulcere intestinorum.

η. Ab acido primarum viarum, aut bile acri, etc.

θ. A vermibus in ventriculo aut intestinis nidulantibus.

Sp. 7. Diarrhœa *Mucosa.*

Dejectiones per alvum frequentes muci aut humoris albi, gelatinosi, vel etiam pituitæ vitreæ; quandoque cum fæcibus putridum aut acidum spirantibus, et ex chylo admixto sæpe albicantibus (*).

SYN. Diarrhœa frigida *s.* symptomatica. *Darw.*
——— chronica. *Auct.*

(*) DARWIN, aliique diarrhœam chylosam cum morbo cœliaco male confundunt. Vide supra *Blennorrhagia recti.* Diarrhœa chylosa utplurimum sine tenesmo, Blennorrhagia recti semper cum tenesmo juncta est.

VARIAT pro causa remota:

α. A prava diæta ex ingestis tenacibus, glutinosis.

β. Ab infarctu mucoso, glutinoso, aut vermibus intestinorum.

γ. A cachexia pituitosa generali.

δ. A febre prægressa.

ε. A dysenteria prægressa.

ζ. Ab ulcere intestinorum.

η. A torpore vasorum absorbentium canalis intestinalis ex mœrore, metu, terrore, aliisve causis.

ϑ. A torpore aut inactione vasorum cutaneorum habituali (cum cute sicca, arida).

ι. Ex torpore aut obstructione vasorum lacteorum, aut glandularum meseraicarum in scrofulosis, rhachiticis.

κ. Ex vitio intestinorum habituali contracto.

Sp. 8. Diarrhœa *Dyspeptica.*

Dejectiones frequentes, ac plerumque mox ab assumptis alimentis insequentes, crudorum et indigestorum, vix aut ne vix mutatorum, et fere talium, qualia assumpta fuerunt, sine dolore aut febre (*).

(*) Hic morbus minime ex lævitate aut ex laxitate vel paralysi ventriculi et intestinorum tenuium, ut vulgo

SYN. Lienteria. (Gr. Λειεντερία). *Auct.*
Lævitas intestinorum. *Celsi.*
Diarrhœa indigestorum. *Stoll.*

Sp. 9. Diarrhœa *Metastatica.*

VARIAT pro causa remota:

α. Ex podagra aberrante.
β. Ex arthritide podagrica vel rheumatica retrocedente.
γ. Ex erysipelate retrocedente.
δ. Ex morbis cutis chronicis vel acutis retrocedentibus, aut retropulsis.
ε. Ex ulcere aut fonticulo præpostere siccato.
ζ. Ex transpiratione suppressa.
η. Ex sudore locali consueto suppresso.
ϑ. Ex galactoplania.
ι. Ex uroplania.
κ. Ex aquis hydropicorum absorptis et ad intestina delatis.
λ. Ex pure alibi absorpto et ad intestina deposito.

---

putatur, sed ab humore gastrico vitiato, aut ab actione ventriculi morbosa, vel ex vitio vasorum meseraicorum, aut etiam ex assumptis minus digestibilibus, motum peristalticum accelerantibus, oritur. Certe paralysis, aut asthenia ventriculi, vel intestinorum omnem ideam diarrhoeæ excludit.

Sp. 10. Diarrhœa *Symptomatica.*

VARIAT pro causa remota:

α. Febrilis, exanthematica, syntectica.
β. Ab ulcere aut carkinomate intestinorum.
γ. A pure absorpto et ad intestina delato in phthisi pulmonali, hepatica, renali, etc.
δ. Ab apostemate rupto post osphytidem, ovaritidem, hepatitidem, etc.
ε. A dissolutione sanguinis generali scorbuticorum, hydropicorum, carkinomate aut sphakelo laborantium.
ζ. Ex abusu hydrargyri.
η. Ex sialorrhœa mercuriali.

DIARRHOEA CRUENTA *seu* SANGUINEA. Vide *Hæmorrhœa* et *Melænorrhagia.*

DIARRHOEA PURULENTA. Vide *Pyorrhagia.*

G. LXVII. URORRHŒA.

Excretio urinæ aquosæ, limpidæ, profusa : Morbus plerumque temporarius et symptomaticus.

SYN. Diabetes aquosa. *Auct.*
——— mucaginosa. *Darwin.*
——— nervosa. } *Auct.*
——— hysterica. }

VARIAT pro causa remota:

α. Ab hyperkinesia.

β. Ab ebrietate incipiente.

γ. A diureticis assumptis, vel externe applicatis.

δ. A metu aut anxietate.

ε. A vermibus intestinorum.

ζ. A frigore humido corpori diutius applicato.

η. Ab aquis hydropicorum absorptis et ad renes delatis.

ϑ. A podagra aberrante.

ι. Ab usu aquarum mineralium.

G. LXVIII. HYPERHIDROSIS.

Gr. Ὑπερίδρωσις, ab ὑπὲρ, nimium, ἱδρὼρ, sudor.

Sudoris excretio profusa abnormis (*).

(*) *Dr. G. Fordyce* primus, quantum novi, medicorum fuit, qui partes constitutivas humoris, per transpirationem aut sudorem ex corpore exhalantis, experimentis exactius determinare allaboravit. Ex hisce patet materiam hanc compositam esse : 1. Aqua cum muco ; 2. Oleo ; 3. Muriate sodæ ; 4. Muriate ammoniacæ ; 5. Phosphate sodæ.—*Seguin* et *Lavoisier*, præterea magnam quantitatem calorici, carbonem et quandoque etiam acidum purum per cutem excerni docuerunt ; sed qualis sit natura hujus acidi, nondum liquet. Cum sudore aut transpiratione præterea, quantitas gazis seu fluidi elastici simul excerni videtur.—Quænam differentia sit inter

Huc etiam pertinet:

Ephidrosis (Ἐφίδρωσις, *Hipp.*) Profusio sudoris in parte.

Sp. 1. Hyperhidrosis *Sthenica.*

Sudor profusus cum actione cordis et systematis arteriosi aucta.

Sp. 2. Hyperhidrosis *Asthenica.*

Sudores profusi cum vi vitali debili, præcipue durante febre, vel post febres ex debilitate generali, frequentes.

---

partes constitutivas sudoris sani et morbosi a nemine adhuc determinatum fuit; interea sudorem in variis morbis variare, ut in urina quotidie observamus, valde probabile est. Sudores topici sæpe evidenter acres et fœtidi sunt. Auctores præterea sudorem, adiposum, viscidum, arenosum seu sabulosum, biliosum, gelatinosum, lacteum, melleum, oleosum, phosphorescentem, sulphureum, nec non varie coloratum: album, cœruleum, fuligineum, luteum, nigrum, rubrum, sanguineum seu cruentum, violaceum, viridem; itemque odoris varii: fœtidum, hircinum, porraceum, allium aut moschum redolentem, acidum, vinosum, urinosum observarunt. Ego ipse podagricum inveteratum vidi, qui per plures menses podagra laborans, omni mane totam corporis superficiem pulvere albo, quasi farina conspersam, exhibuit.

Sp. 3. Hyperhidrosis *Critica.*

In febribus sæpe fausta, vel lethalis.

Sp. 4. Hyperhidrosis *Vicaria.*

Frequenter periodice recurrens, orta ex suppressione aliarum secretionum aut excretionum consuetarum, unde sudor sanguineus, urinosus, etc.

Sp. 5. Hyperhidrosis *Symptomatica.*

Syn. Sudor colliquativus. *Auct.*

Variat:

α. Febrilis, exanthematica.
β. Ex arthritide rheumatica.
γ. Scorbuticorum.
δ. Hecticorum.

G. LXIX. OTORRHOEA.

A Gr. Ὠτόῤῥοια, ab οὖς, auris: Fluxus aurium.

Fluxus humoris sanguinei, serosi, mucosi, puriformis aut purulenti, ex aure una vel utraque, plerumque cum dysecoea, cnesmo, quandoque etiam cum dolore plus minusve acuto. Vide *Otitis* et *Otalgia*.

Sp. 1. Otorrhœa. *Sanguinea.*

Fluxus sanguinis ex aure unà vel utraque.

Variat :

α. A menstruis vel hæmorrhoidibus suppressis.

β. A vulnere, ictu, vel contusione violenta.

Sp. 2. Otorrhœa *Mucosa.*

Fluxus materiæ decoloris, aut mucosæ puriformis ex aure.

Variat :

α. A refrigerio capitis, aut catarrheumate.

β. A lapsu, contusione capitis vel auris.

γ. Ab ulcere, blennorrhagia, achoribus, etc. supressis.

Vide *Otalgia metastatica, rheumatica,* etc.

Sp. 3. Otorrhœa *Purulenta.*

Post inflammationem et symptomata eam comitantia, in aure aut partibus vicinis apostema; dein materiæ purulentæ aut ichorosæ, inodoræ vel fœtidæ, ex aure fluxus, quandoque valde copiosus cum levamine doloris, sæpe cum dysecœa aut paracusi junctus.

Variat :

α. Ex menstruis suppressis.

β. Ex contusione capitis vel auris.
γ. Ex rupto apostemate auris vel prope aurem.
δ. Ex ulcere, fistula, aut carie.
ε. Ex metastasi febrili, lactea, etc.

G. LXXI. DACRYRRHOEA.

A. Gr. Δάκρυον, lacryma et ῥέω, fluo.

Fluxus humoris lacrymalis abnormis.

Syn. Epiphora. *Galen.*

A. Flow of tears.
G. Larmoyement.
Ge. Thränenfluss.

Dacryrrhoea omnis symptomatica esse videtur.

Variat pro causa remota :

α. Ab animi pathematibus.
β. Ab hyperkinesia.
γ. Ab obstructione punctorum lacrymalium, sacci lacrymalis, vel ductus aut canalis nasalis.
δ. A fistula earundem partium ex variola, rubeola, aliisve causis orta.
ε. Ab ectropio.
ζ. A catarrheumate.
η. A podagra aberrante.

G. LXXI. SIALORRHŒA.

A. Gr. Σίαλον, saliva et ῥέω, fluo.

Fluxus salivæ abnormis, ad sputationem aut deglutitionem constantem excitans.

Syn. Πτυαλισμὸς, *Hipp.* Ἀναβηξις, *Galen.*
Ptyalismus. } *Auct.*
Salivatio. }

A. Salivation.
G. Ptyalisme; salivation.
Ge. Speichelfluss.

Sp. 1. Sialorrhœca *Idiopathica.*

Variat pro causa remota :

α. Ab usu interno vel externo, aut a vapore hydragyri.
β. Ab usu radicis, smilax-chinæ dictæ.
γ. Ab usu muriatis barytæ.
δ. A masticatione sialogogorum.
ε. A vulnere, ulcere aut erosione ductus glandulæ cujusdam salivalis.
ζ. A laxitate aut paralysi ductuum excretoriorum glandularum salivalium.
η. A catarrheumate.
θ. A carie maxillæ, vel dentium.

ι. A calculo glandulæ sublingualis, ductum ejus excretorium irritante.

Sp. 2. Sialorrhœa *Symptomatica.*

VARIAT pro causa remota:

α. Ab ischomenia.
β. Ab hyperkinesia.
γ. A variola.
δ. A scarlatina.
ε. A saburra gastrica.
ζ. A pyrosi.
η. A scorbuto.
ϑ. A phthisi pulmonali.
ι. Ab aphthis oris.
κ. A crisi febrili.
λ. A prosopalgia.
μ. A graviditate.
ν. Ab œsophagi paralysi.
ξ. A pancreatis vitiis.
ο. Ab urinæ suppressione.
π. A refrigeratione pedum.

G. LXXII. DYSODIA.

A. Gr. Δυσωδία, à δὺς, male, ὀσμὴ seu ὀδμὴ, odor.

Fluidi, aut gazis elastici fœtidi ex corpore exhalatio.

A. A

A. A bad smell.
G. Puanteur.
Ge. Übler Geruch.

Sp. 1. Dysodia *Cutanea*.

Fœtor peculiaris : nauseosus, hircinus, acescens, urinosus, vel putridus aut cadaverosus, ex fluido aut gaze elastico, transpiratione vel sudore, ex cute exhalans.

Variat sede :

1. Dysodia generalis.

2. ——— topica { axillarum. pedum. genitalium. aurium. capitis (a tinea).

Variat pro causa remota :

α. Febrilis.
β. Exanthematica.
γ. A carkinomate.
δ. A phthisi purulenta.
ε. A gangræna.
ζ. A carie.
η. A vitio cutis connato.

Sp. 2. Dysodia *Pulmonalis*.

Variat sede :

α. Ex larynge.

β. — trachea.
γ. — bronchiis.
δ. — pulmone.

Variat pro causa remota :

α. A deglutitis fœtidis.
β. Ab ulcere pulmonum.
γ. Ab diæta pure animali.

Sp. 3. Dysodia *Nasalis.*

Variat pro causa remota :

α. Ab ozæna aut ulcere narium.
β. A polypo narium.
γ. A carie, aliove vitio antri maxillaris, vel ossium nasi.
δ. A stenosi narium.

Sp. 4. Dysodia *Gastrica.*

α. A saburra putrida, biliosa, etc. ventriculi.
β. A dyspepsia.
γ. A jejunio severo.
δ. A vermibus ventriculi vel intestinorum.
ε. A carkinomate, sphakelo aut corruptione intestinorum vel viscerum abdominalum.
ζ. A flatibus aut ructibus.

Sp. 5. Dysodia *Stomatica.*

A Gr. Στόμα, os : Fœtor ex ore.

VARIAT *pro causa remota:*

α. A dente carioso, aut ex crusta calculosa dentium.

β. A vitio gingivarum scorbutico.

γ. A mora carnium aut aliorum esculentorum inter dentes.

δ. Ab ulcere faucium putrido.

ε. A secretione vitiosa, ex ulcere vel polypo narium.

ζ. A fœtidis, allio, etc., masticatis.

η. Ab usu hydrargyri copiosiori.

θ. A menstruatione in quibusdam fœminis.

ι. Ab Ischomenia.

κ. A vermibus primarum viarum.

G. LXXIII. PHYSOPSOPHIA.

A Gr. Ψόφος, crepitus, sonitus, et φύσα, flatus, aër.

Gazis seu fluidi elastici, aut vaporis, ex variis canalibus corporis externe patentibus, expulsio sonora.

Sp. 1. Physopsophia *Stomatica* (gr. Ἔρευξις).

Gazis expulsio sonora per os.

Sp. 2. Physopsophia *Ani* (gr. Πέρδησις).

Gazis expulsio sonora per anum.

Sp. 3. Physopsophia *Genitalium.*

Gr. Αἰδοιοψόφια, ab αἰδοῖον, pudendum utriusque sexus, et ψοφέω, crepitum edo.

Fluidi aut gazis elastici ex genitalibus expulsio sonora.

Varietas 1. — *Urethræ.*

Gazis elastici cum urina, vel durante coitu cum semine, aut loco seminis, expulsio sonora per urethram.

Varietas 2. — *Uterina.*

Gazis elastici ex utero explosio sonora per orificium vulvæ sub coitu, aut etiam extra coitum.

SECT. III. APOKENOSES ECLYTICÆ.

G. LXXIV. GALACTACRASIA.

A. Gr. Γάλα, lac, et ἀκρασία, incontinentia.

Lactis incontinentia, seu lactis ex papillis mammarum effluxus spontaneus (*)

(*) Auctores huc etiam referunt effluxum lactis vitiati, et varii coloris : atri, lutei, viridis, etc. ex mammis.

Syn. Galactirrhœa. *S.*
Sparganosis. *Dioscorid.*

A. Overflowing of milk.
G. Ecoulement de lait des mammelles; perte de lait.
Ge. Milchverlurst; Milchausfluss.

Variat pro causa remota :

α. A debilitate ductuum excretoriorum glandularum mammæ.
β. A nimia lactis secreti abundantia.
γ. A nimia irritabilitate vasorum mammæ.
δ. A vulnere, ulcere aut erosione mammillarum.
ε. A defectu lactationis.
ζ. Ab incapacitate sugendi aut deglutiendi infantis.
η. A fœtu in utero mortuo.

G. LXXV. SPERMACRASIA.

Gr. Σπερμακρασία, a σπέρμα, semen, et ἀκρασία aut ἀκράτεια, incontinentia : Seminis fluxus involuntarius morbosus.

Seminis, et plerumque simul humoris prostatæ, excretio frequens aut assidua, invita, noctu vel die, utplurimum sine

erectione colis, aut cum erectione ejusdem incompleta vel momentanea. Morbus vasorum seminalium, summe debilitans, et frequenter tabem dorsalem inducens.

SYN. Gonacrasia.
Thoracrasia.
Gonorrhœa. *Cullen* (*).
Spermatorrhœa.
Gonozemia, seu spermatozemia.
Gonobolia. *Ploucq*.
Seminis effluxus.
Oneirygmus morbosus (**).
Pollutio nocturna morbosa.
Pollutio diurna. *Wichman*.

A. Seminal weakness.
G. Perte ou écoulement de semence.
Ge. Saamenfluss; Saamenverlurst.

(*) Cullen cum aliis auctoribus *Gonorrhœam* cum blennorrhagia et cum blennorrhoea urethrali male confundit.

(**) Pollutio nocturna (ὀνειρυγμός, Gr.) quæ vel ex imaginibus ludicris in somnio genitalium actionem excitantibus, vel ex accumulatione seminis testiculos aut vesiculas seminales in actionem ciente, oritur, nec frequens nec debilitans, morbus non est.

Sp. 1. Spermacrasia *Asthenica* (*).

VARIAT:

α. A debilitate corporis generali.

β. A debilitate topica vasorum seminalium:

1. Ex venere nimia, vel præmatura.
2. Ex anaphlasi.

γ. A paralysi, erosione, ulcere ductuum excretoriorum prostatæ et vesicularum seminalium.

Sp. 2. Spermacrasia *Erethistica*.

Spermacrasia, ex irritabilitate aut sensibilitate morbosa generali, vel cerebelli aut partium genitalium topica, orta (**).

(*) Æger in hoc statu semen constanter et guttatim perdit, vel excretio ejusdem per intervalla fit ambulando, equitando, mingendo, aut alvum deponendo sine ulla erectione aut voluptate, cum stupore et languore omnium fere functionum mentis et corporis, torpore et asthenia nervorum ac musculorum generali, visu hebeto, dyspepsia, dolore lumborum et spinæ dorsi, emaciatione et febre hectica, seu tabe dorsali *Hipp.*

(**) Hæc irritabilitas sæpe tanta est, ut vel minimo stimulo interno vel externo, in cerebellum aut organa genitalia agente, excretio seminis sequatur. In hoc casu levissima imaginationis ludicra, aspectus objecti, lectura, pictura obscœna, levissima contrectatio lasciva, imo pres-

G. LXXVI. URACRASIA.

A Gr. Οὖρον, urina, et ἀκρασία: Urinæ incontinentia.

Fluxus urinæ e vesica involuntarius et constans, cum impotentia eandem retinendi.

Syn. Enuresis. *Auct.*

Uracratia. } *Ploucq.*
Urorrhœa. }
Perirrhœa. *Hipp.*
Paresis. } *Auct.*
Stillicidium urinæ. }

A. Incontinence of urine.
G. Incontinence d'urine.
Ge. Uuwillkührlicher Harnfluss.

---

sio manuum, oscula, effusionem seminis causant, sæpe sine ulla, quandoque etiam cum erectione momentanea vel incompleta. Hi ægri præcipue durante somno pollutionibus nocturnis frequentibus et summe debilitantibus vexantur. Initio ejectio seminis fit sub somniis lascivis cum erectione completa et voluptate; sed progressu morbi semen absque somnio libidinoso et sine voluptate aut erectione omni nocte, idque frequenter repetitis vicibus effunditur, unde gradatim tanta partium genitalium et totius corporis debilitas inducitur, ut æger sine ulla erectione, sine ulla idea aut contactu lascivo, semen etiam de die guttatim et constanter, vel per intervalla plus minusve brevia, perdat, qui status speciem acrasiæ proprie constituit.

Variat sede :

1. Vitio hærente in vesica (kystica).
2. ——————— in sphinctere (sphincterica).
3. ——————— in urethra (urethralis).

Sp. 1. Uracrasia *Asthenica.*

Stillicidium urinæ perpetuum sine dolore, inscio ægro.

Variat pro causa remota:

α. A debilitate, vel paraplegia aut paralysi sphincteris vesicæ.

β. Ex collo vesicæ nimis dilatato, distento aut rupto a vi externa, in partu vel in extractione calculi, vel e nisu violento urinam excernendi.

γ. Ex vulnere, ulcere aut erosione sphincteris vel colli vesicæ.

δ. A gangræna colli vesicæ.

ε. A debilitate, præcipue senum, ebriorum.

ζ. Ex introsusceptione membranæ urethræ internæ in prolapsu.

η. Ex hernia, prolapsu aut retroversione vesicæ, vaginæ, uteri, vel intestini, quibus distrahitur sphincter vesicæ, ita ut postea constringi pro lubitu nequeat.

ϑ. Ex obesitate.

ι. Ex collo vesicæ cartilagineo aperto.

Sp. 2. Uracrasia *Erethistica.*

Incapacitas urinam tempore solito retinendi cum dolore, sensatione ingrata, aut contractione spasmodica vesicæ.

Variat pro causa remota:

α. A defectu aut mala conformatione vesicæ connata.

β. A compressione vesicæ: Ex tumore vicino, aut ex utero gravido.

γ. A stenosi, aliisve vitiis vesicæ.

δ. A rigiditate seu incapacitate dilatationis.

ε. A nimia repletione vesicæ.

ζ. Ab inflammatione vesicæ.

η. Ab irritabilitate morbosa, aut spasmo.

ϑ. Ex ulcere, herpete, carkinomate, aut fungo vesicæ vel colli vesicæ.

ι. A calculo.

κ. A vermibus.

λ. A venenis aut medicamentis diureticis irritantibus.

μ. A skirrho prostatæ, aut a glandulis urethræ tumentibus, induratis, inflammatis, ulceratis (ex viru syphilitico aliisve causis) prope sphincterem vesicæ sitis, impediendo ne collum vesicæ exacte claudi possit, donec tumor gradatim auctus ischuriam inducat.

ν. A prolapsu uteri aut vaginæ.

Sp. 3. Uracrasia *Fistularis.*

Urina stillante:

1. Per fistulam vesicæ ex vagina.
2. ——————— ex recto.
3. ——————— ex perinæo.
4. Ex rupta aut perforata vesica simul ac vagina, durante partu difficili.

Sp. 4. Uracrasia *Symptomatica.*

VARIAT pro causa remota:

α. A læsione capitis.
β. A compressione medullæ spinalis ex hydrorhachi, aut ex mala ejusdem conformatione.
λ. A luxatione spinæ dorsi.
δ. A læsione vertebrarum.
ε. Ab apoplexia, paraplegia, aut paralysi.
ζ. A tumore, vel irritatione vasorum hæmorrhoidalium.
η. A menstruorum suppressione.
θ. A lactis aberratione in puerperis.
ι. A podagra aberrante.

Sp. 5. Uracrasia *Nocturna.*

Urinæ e vesica fluxus involuntarius durante somno. Morbus præcipue infantum et juniorum, rarius adultorum, ex urina minus acri, diutius retenta, aut ex somno profun-

diori, vel ex prava consuetudine longiori tempore contracta, oriundus.

G. LXXVII. SCORACRASIA.

Gr. Σκωρακρασία, a σκῶρ, stercus, fæces, et ἀκρασία, ab α privativo, et κράτος, vis: Incontinentia seu incapacitas retinendi fæces.

Alvi, seu fæcum excretio constans et involuntaria per anum, vel per alias vias abnormes.

Syn. Coprorrhœa. *Ploucq.*
Anus artificialis. *Auct.*

Sp. 1. Scoracrasia *Paralytica.*

α. Ab apoplexia aut paralysi generali.

β. A contusione, compressione, aut paralysi sphincteris ani.

Sp. 2. Scoracrasia *Traumatica.*

A vulnere, fissura aut dilaceratione ani.

Sp. 3. Scoracrasia *Fistularis.*

Stercore fluente per fistulam, aut anum artificialem, ex abdomine, inguine, perinæo, vagina, vesica, urethra, scroto, etc.

Variat pro causa remota:

α. Ex imperforatione ani aut recti connata.

β. Ex concretione ani vel recti post vulnera, ulcera, etc.

γ. Ex stenosi ani vel recti, aut intestini alius.

δ. Ex compressione recti a tumore, carkinomate.

ε. A mala conformatione ani.

ζ. Ab inflammatione, skirrho, introsusceptione, concretione aut stenosi intestinorum.

η. A tumoribus canalem intestinalem comprimentibus.

ϑ. A calculo intestinorum.

CL. II. O. II. EPISCHESES.

Gr. Ἐπισχέσεις, ab ἐπὶ, et ἴσχω, retineo, supprimo.

Character. Excernendorum retentiones aut suppressiones abnormes.

Genera ad hunc ordinem spectantia sunt:

Genus I. ISCHÆMIA.
II. ISCHOLOCHIA.
III. ISCHOMENIA.
IV. DYSMENIA.
V. ISCHOBLENNIA.
VI. ISCHOPYOSIS.
VII. ISCHIDROSIS.
VIII. ISCHURIA.
IX. DYSURIA.
X. ISCHOCOILIA.
XI. DYSCOILIA.
XII. ISCHOGALACTIA.
XIII. DYSTHELASIA.
XIV. DYSPERMASIA.

CL. II. O. II. EPISCHESES.

G. LXXVIII. ISCHÆMIA.

A Gr. Αἷμα, sanguis, et ἴσχω, retineo.

Fluxus sanguinis consueti retentio vel suppressio morbosa.

Syn. Hæmischesis. *Ploucq.*

Sp. 1. Ischæmia *Nasalis.*

Fluxus sanguinis e naribus consueti suppressio morbosa, præcipue in junioribus; plerumque cum Kephalalgia aut gravitate capitis, ac rubore faciei et oculorum juncta.

Variat pro causa remota:

α. Ab applicatione frigidorum.
β. ———— medicamentorum adstringentium, vel stypticorum.
γ. A retrocessione sanguinis spontanea, ejusque apoplanesi ad alia viscera: ad pulmones, uterum, intestinum rectum.

Sp. 2. Ischæmia *Hæmorrhoidalis.*

Fluxus sanguinis e vasis hæmorrhoidalibus consueti suppressio morbosa, plerumque cum Kephalalgia, capitis gravitate, vertigine, dolore et gravitate lumborum; sæpe cum vena-

rum hæmorrhoidalium internorum in recto vel externorum in ano, tumore et dolore.

SYN. Hæmorrhoides cæcæ. } *Auct.*
———— tumentes, dolentes.
Varices ani.
Hæmorrhischesis. *Ploucq.*

A. Piles.
G. Gonflement des vaisseaux hémorrhoïdaux.
Ge. Blinde goldene Ader.

VARIAT pro causa remota:

α. A vasis hæmorrhoidalibus sponte tumentibus.
β. Ab applicatione frigidorum.
γ. ———— medicamentorum adstringentium interna vel externa ad fluxum hæmorrhoidum cohibendum.
δ. A retrocessione sanguinis, ejusque apoplanesi ad loca aliena.

G. LXXIX. ISCHOLOCHIA.

Lochiorum retentio aut suppressio morbosa.

SYN. Ischæmia lochialis.
Lochiischesis. *Ploucq.*

VARIAT

Variat pro causa remota :

Sp. 1. Ischolochia *Asthenica.*

Variat :

α. A nimia sanguinis per uterum jactura prægressa.
β. A defectu sanguinis.
γ. A debilitate generali.
δ. Ab apoplanesi seu congestione sanguinis ad alia viscera.
ε. Ab hæmorrhagiis, aliisve evacuationibus profusis, in aliis corporis partibus.
ζ. A lactatione.
η. A diarrhœa.

Sp. 2. Ischolochia *Spasmodica.*

Variat :

α. Ab animi affectibus ingratis : terrore, metu, ira.
β. A frigore incaute admisso.
γ. Ab applicatione aut potu aquæ frigidæ.
δ. Ab adstringentium vel stypticorum usu interno vel externo.

Sp. 3. Ischolochia ex *vitio Topico.*

Variat :

α. Ab orificio uteri contracto, vel per se-

cundinas aut per sanguinem grumosum obstructo.

β. A compressione uteri vel orificii ejusdem, aut vaginæ:

1. Per tumores vicinos.
2. Per vesicam urinariam repletam.
3. Per intestinum rectum ex fæcibus accumulatis distentum.
4. Per cingulum aut fascias nimis strictas.

γ. A situ uteri obliquo.

δ. Ab hernia aut prolapsu uteri.

G. LXXX. ISCHOMENIA.

A Gr. Μὴν, μηνὸς, mensis; unde Ἐμμήνια, Ἐπιμήνια, Καταμήνια, Menstrua mulierum.

Menstruorum fluxus deficiens, citra graviditatem.

Syn. Amenorrhœa. *V. Cull.*
Menischesis. *Ploucq.*
Menostasia. *Sprengel.*

A. Want or defect of menstruation.
G. Manque de règles.
Ge. Mangel der monatlichen Reinigung.

I. Ischomenia puberum.

Menstruorum fluxus deficiens, tempore pubertatis, quo alias, more in diversis climatibus

consueto, apparere solent, cum symptomatibus morbosis variis.

Syn. Amenorrhœa emansionis, *Cull.*

Variat pro causa remota :

α. A defectu ovariorum connato.

β. Ab excisione aut destructione ovariorum.

γ. A defectu uteri connato.

δ. A defectu aut concretione corniculorum, seu tubarum Fallopii.

ε. A defectu cavitatis uteri, ex concretione laterum uteri.

ζ. A statu ovariorum aut uteri morboso.

η. A concretione orificii uteri.

θ. A concretione aut stenosi vaginæ.

ι. Ab atresia seu hymene imperforato, vel a concretione nympharum aut labiorum vulvæ.

κ. A statu cacochymico aut cachectico corporis, chlorosi etc.

λ. Ab inedia aut nutritionis defectu.

μ. Ab evacuationibus sanguineis, aliisve morbis gravibus prægressis.

ν. A debilitate generali corporis connata vel acquisita.

ξ. A nimia vasorum uteri irritabilitate.

ο. A situ uteri abnormi.

ρ. A prolapsu uteri vel vaginæ uteri.

II. Ischomenia adultarum.

Menstruorum fluxus, antea regularis, suppressio partialis, vel totalis citra graviditatem aut lactationem; utplurimum cum gravitate aut dolore lumborum et hypogastrii, kephalalgia ac dysphoria generali, aut affectionibus topicis variis juncta.

Syn. Amenorrhœa suppressionis. *Cull.*

A. Defect or suppression of the menses.
G. Suppression des règles.
Ge. Unterdrückung der monatlichen Reinigung.

Sp. 1. Ischomenia *Asthenica.*

Variat pro causa remota:

α. A debilitate generali.
β. Ab inedia aut defectu nutritionis.
γ. A morbis gravibus, acutis vel chronicis prægressis.
δ. Ab hæmorrhagiis aliisve evacuationibus profusis prægressis.
ε. A labore aut exercitio nimio.
ζ. A cachexia uteri pituitosa.
η. Ab excisione ovariorum.
ϑ. A mœrore, tristitia, metu.

Sp. 2. Ischomenia *Spasmodica.*

Variat:

α. A terrore, ira.
β. Ab irritabilitate vasorum uteri morbosa.
γ. A frigore incaute applicato.
δ. A stypticis, adstringentibus assumptis, vel externe applicatis.
ε. A veneris aut aselgotripsiæ excessu.

Sp. 3. Ischomenia *Topica.*

Variat:

α Ab ovariorum morbis aut vitiis variis.
β. A phlogosi, aposthemate, skirrho, carkinomate, vel ulcere uteri.
γ. A vasis uteri rigidis, compressis, imperviis.
δ. Ab orificio uteri concreto, obstructo, vel compresso.
ε. A stenosi vaginæ.
ζ. A prolapsu, aut situ uteri vel vaginæ abnormi.

G. LXXXI. DYSMENIA.

A Gr. Δὺς, difficulter, et Μήνια, menstrua: Menstruatio difficilis.

Menstruorum fluxus solita periodo regulariter apparens, sed dolorificus.

SYN. Dysmenorrhœa. *Auct.*
Menorrhagia difficilis. *S.* et *Cull.*

A. Difficult or painful menstruation.
G. Menstruation difficile ou douloureuse.
Ge. Beschwerliche, oder schmerzhafte monatliche Reinigung.

VARIAT pro causa remota, fere ut ischomenia adultarum.

Huc etiam pertinet :

PAUSIMENIA, a Gr. Παῦσις, cessatio et Μήνια, menstrua.

Fluxus menstrui cessatio spontanea, vita in senium vergente (accedens in climate moderato præprimis ab anno ætatis 40^{mum} ad 48^{vum}), variis affectionibus morbosis, dolore gravativo in hypogastrio et lumbis, cnesmo genitalium summe molesto, tumore, dolore, duritie, hæmorrhœa uteri, aut congestione sanguinis in vasis hæmorrhoidalibus, pulmone, aliisve locis alienis, stipata (*).

(*) Cessatio naturalis menstruorum ætate declinante morbus non est, et plurimæ fæminæ menstrua sic perdunt sine ullo fere incommodo; sed hæc periodus, præcipue fæminis delicatulis, laute et luxuriose in magnis urbibus viventibus, hodie sæpe summe periculosa et non raro fatalis est, ob symptomata gravia supra recensita, quæ nonnisi evacuationibus sanguinis topicis, et catharticis, periodice repetitis, avertuntur.

SYN. Menolipsis.
Amenorrhœa cessationis. *Cull.*

G. LXXXII. ISCHOBLENNIA.

G. Ἰσχοβλεννία, a βλέννα, mucus, et ἴσχω.

Muci excretionis consuetæ suppressio morbosa.

Sp. 1. Ischoblennia *Nasalis.*

Muci ex naribus fluxus suppressio morbosa.

Sp. 2. Ischoblennia *Pulmonalis.*

Sputorum mucosorum ex pulmone suppressio morbosa.

Sp. 3. Ischoblennia *Hæmorrhoidalis.*

Hæmorrhoidum mucosarum suppressio morbosa.

Sp. 4. Ischoblennia *Urethralis.*

Blennorhagiæ aut blennorrhœæ urethralis suppressio morbosa.

Sp. 5. Ischoblennia *Vaginalis.*

Blennorrhagiæ vel blennorrhœæ vaginalis supprsesio morbosa.

Sp. 6. Ischoblennia *Uterina.*

Blennorrhagiæ aut blennorrhœæ uterinæ suppressio morbosa.

Variant pro causa remota :

α. A nimio corporis exercitio.
β. A frigore externo incaute admisso.
γ. Ab applicatione aut injectione adstringentium vel frigidorum.

G. LXXXIII. ISCHOPYOSIS.

A Gr. Πύον, pus, et Ἴσχω, retineo.

Puris excretio consueta ex ulceribus internis vel externis suppressa.

Sp. 1. Ischopyosis *Pulmonalis.*
Sp. 2. Ischopyosis *Renalis.*
Sp. 3. Ischopyosis *Cutanea.*

G. LXXXIV. ISCHIDROSIS.

A Gr. Ἱδρὼς, sudor, et Ἴσχω, supprimo (*).

Sudoris aut transpirationis cutaneæ suppressio morbosa; cutis sicca, arida, contracta.

(*) Hoc vocabulum rectius exprimere mihi videtur suppressionem transpirationis aut sudoris, quam *Adiapneustia*, (gr. Ἀδιαπνευστία, seu Ἀδιάπνοια, ab α priv. et διάπνευσις, seu διάπνοια, transpiratio seu perspiratio insensibilis) utpote transpirationis aut perspirationis insensibilis suppressionem morbosam solum exprimens.

A. Suppresion of perspiration or sweat.
G. Transpiration ou sueur arrêtée.
Ge. Underdrückung des Schweisses oder der Ausdünstung.

Variat pro causa remota :

α. A frigore sicco vel humido incaute, præcipue ad surperficiem cutis vel in partem ejus corpore æstuante, admisso.
β. Ab haustu frigidæ corpore æstuante.
γ. A spasmis.
δ. Ab animi pathematibus ingratis.
ε. A medicamentis adstringentibus.
ζ. A menstruis aliisve evacuationibus sanguinis profusis.
η. A diarrhœa habituali.
ϑ. Ab urorrhagia.
ι. A blennorrhagia aut blennorrhœa profusa.
κ. A languore, dyspepsia, aliisve vitiis ventriculi.
λ. A defectu exercitii debiti corporis.
μ. A languore aut debilitate generali corporis.

G. LXXXV. ISCHURIA.

Gr. Ἰσχουρία, *Hipp.*, ab οὖρον, urina, et ἴσχω, retineo.

Urinæ suppressio aut retentio.

A. Suppression of urine.
G, Suppression d'urine.
Ge. Harnverhaltung.

Sp. 1. Ischuria *Renalis*.

Urinæ secretionis defectus completus vel incompletus (*); prægresso plerumque dolore vel molesto gravitatis sensu in regione renum, sine tumore hypogastrii et sine stimulo ad mingendum : Cathetere applicato nulla urinæ excretio.

VARIAT pro causa remota :

α. Ab inflammatione, apostemate, tumore renum.
β. A calculo renum.
γ. A sanguine grumoso in renibus.
δ. Ab infarctu renum pituitoso.
ε. A debilitate vasorum vel paraplegia aut paralysi renum.
ζ. A defectu secretionis in renibus ex equitatione violenta, ex spasmo, enteralgia, dysenteria.
η. Ab hyperhidrosi, aut sialorrhœa profusa.

(*) Suppressio secretionis et excretionis urinæ completa nunquam locum habet, nisi ambo renes aut ambo ureteres simul affecti sint.

Sp. 2. Ischuria *Ureterica.*

Urinæ retentio, prægresso plerumque renum morbo, cum sensu molestiæ vel doloris acutissimi in quadam parte ureteris unius, raro utriusque, sine tumore hypogastrii et sine stimulo ad mingendum.

VARIAT pro causa remota:

α. Ab inflammatione ureterum.
β. A sanguine grumoso ureterem obstruente.
γ. A calculo in uretere impacto.
δ. Ab orificio ureteris unius vel utriusque inferiori clauso, concreto, vel obstructo.

Sp. 3. Ischuria *Vesicalis.*

Excretio urinæ impedita cum tumore hypogastrii, dolore ad collum vesicæ et frequenti ad mingendum stimulo: Cathetere applicato urinæ evacuatio.

VARIAT pro causa remota:

α. Ab inflammatione vesicæ vel colli ejusdem.
β. A calculo vesicæ.
γ. A paralysi aut debilitate vesicæ, quæ sphincterem colli vesicæ contractum vincere nequit.
δ. A vesica lotio nimis distenta, ita ut sese contrahere nequeat.

ε. A collo vesicæ spasmodice conctracto, vel angustato.

ζ. A collo vesicæ compresso :

1. Per tumorem inter rectum et vesicam.
2. Per tumorem vel distensionem intestini recti a fæcibus accumulatis, vel a calculo, flatibus, inflammatione, apostemate, hæmorrhoidibus , carkinomate.
3. Per tumorem ovariorum.
4. Per tumorem vaginæ; menstruis ex atresia retentis.
5. Per tumorem ani.
6. Per tumorem prostatæ inflammatorium, apostematosum, skirrhosum.
7. Per uteri tumorem aut irritationem ex graviditate, prolapsu, reversione, dislocatione, skirrho; carkinomate, vel ex placenta relicta.

η. A pure, grumo sanguinis, aut muco collum vesicæ irritante, obstruente.

ϑ. A vasis varicosis ad collum vesicæ.

ι. A prolapsu vesicæ.

ϰ. Ab atonia vis muscularis vesicæ post partum, vel ejusdem ex lotio accumulato nimia distensione.

λ. A vesicæ perforatione.

μ. A calculo in collo vesicæ hærente.

ν. A frigore humido corpori diutius applicato.

ξ. Ab artevrismate iliacæ dextræ.
ο. A lytta vesicatoria aliisve acribus assumptis, vel externe applicatis.
π. A dysenteria.
ρ. A vitiis gastricis.
σ. A lochiis suppressis.
τ. A mesenterii inflammatione.
υ. A vulneratione hypogastrii.
φ. A vi externa illata, contusione, lapsu, etc.

Sp. 4. Ischuria *Urethralis*.

Urinæ excretio impedita cum hypogastrii tumore ac dolore, pressione hypogastrii aucto, et frequenti ad mingendum stimulo; quandoque cum dolore in quadam urethræ parte aut cum sensatione molesta in glande penis.

Variat pro causa remota:

α. Ab inflammatione urethræ violentiori.
β. A calculo urethræ impacto.
γ. A caruncula aut excrescentia in urethra.
δ. A stenosi in quavis urethræ parte.
ε. Ab ulcere urethræ.
ζ. A spasmo urethræ.
η. A compressione urethræ:
1. Ex tumore aut skirrho glandulæ cujusdam urethræ.
2. Ex tumore aut skirrho prostatæ.

3. Ex tumore vicino recti, uteri gravidi, etc.
4. Ex hernia, aut ex prolapsu uteri vel vaginæ.
5. Ex polypo aliove tumore vaginæ vel uteri.
6. Ex tumore perinæi.
7. Ex vinculo strictiori urethræ injecto.

ϑ. A corporibus alienis impactis : nucleis, cereolis medicatis, etc.

ι. A colis intra corpus retractione.

κ. Ab atresia seu concretione urethræ aut orificii ejusdem.

λ. Ab urethræ infarctu :
1. Ex pure,
2. Ex muco,
3. Ex grumo sanguinis.

μ. A membrana vesicæ interna in urethram impacta.

ν. Ab urethræ ruptura in scrotum hiante.

ξ. Ab hæmorrhoidibus, aut venis varicosis urethræ.

Sp. 5. Ischuria ex *Vitio præputii.*

α. Ab atresia præputii, seu orificio ejusdem coarctato, concreto vel clauso.

β. A tumore aut induratione præputii.

γ. A præputii retro glandem retracti coarctatione.

G. LXXXVI. DYSURIA.

Gr. Δυσουρία, a δὺς, difficulter, et οὖρον, urina.

Urinæ excretio difficilis, dolorifica cum nisu aut desiderio mingendi frequente aut fere perpetuo, quamvis paucæ tantum ejus guttulæ singula vice excernantur. Urina utplurimum profunde colorata, rubra, nigra, vel mucosa, sanguinolenta, purulenta aut sabulosa.

Varietas dysuriæ est :

Stranguria (Στραγγουρία, Gr.)

Ardor urinæ, seu stillicidium urinæ dolorificum.

A. Dysury, or difficulty of voiding the urine; heat in making water; strangury.
G. Dysurie, ardeur d'urine.
Ge. Harnstrenge; Harnbrennen.

Sp. I. Dysuria *Vesicalis.*

Variat pro causa remota:

α. A venenis aliisve acribus ingestis, lytta vesicatoria assumpta, etc.
β. A vesicantibus externe applicatis.

γ. Ab urorrhagia.

δ. A debilitate vesicæ vel colli vesicæ ex nimia distentione vesicæ.

ε. Ab inflammatione vesicæ.

ζ. A læsione, vulnere, aut ulcere vesicæ.

η. A calculo vesicæ.

ϑ. A blennorrhagia aut blennorrhœa vesicæ.

ι. Ab hæmorrhoidibus vesicæ.

κ. A compressione vesicæ:

1. Per uterum gravidum, aut ex alia causa tumentem.
2. Per tumorem recti.
3. Per tumorem vaginæ atretarum.
4. Per herniam, aut prolapsum.

λ. A vermibus vesicæ.

μ. A spasmo vesicæ.

ν. A metastasi rheumatica, podagrica, herpetica etc.

ξ. Ab irritatione intestini recti vel vaginæ uteri: ab ulcere, carkinomate, polypo, hæmorrhoidibus, vermibus, etc.

ο. A mala consuetudine urinam diu retinendi (*).

(*) Morbus præcipue fæminarum, unde sequitur stillicidium constans et dolorificum urinæ ex incapacitate vesicæ sese complete contrahendi.

Sp. 2.

Sp. 2. Dysuria *Urethralis.*

VARIAT *pro causa remota :*

α. Ab inflammatione, excoriatione, aut ulcere urethræ.

β. A blennorrhagia urethræ.

γ. A compressione urethræ :

1. Per tumores vicinos.
2. Per tumores glandularum urethræ.
3. Per tumorem prostatæ.

δ. A stenosi urethræ.

ε. Ab excrescentiis aut carunculis urethræ.

ζ. Ab ulcere urethræ.

η. A callositate urethræ.

ϑ. A vermibus urethræ.

ι. A corporibus peregrinis in urethram immissis aut intrusis.

κ. A peregrinis in urethra hærentibus : pure, muco, grumo sanguinis, sabulo, calculo, pilis etc.

λ. Ab hæmorrhoidibus cum vesica aut cum urethra communicantibus, tumentibus, vel mucum aut sanguinem in eam evacuantibus.

μ. A materia rheumatica, podagrica, erysipelatosa, herpetica etc, retrocedente, ad vesicam vel urethram delata.

ν. Ab urina acri.

ξ. A cerevisia non probe fermentata assumpta.

ο. Ab acribus ingestis aut in urethram injectis.

π. A defectu secretionis muci in urethra.

Vide etiam *Ischuria*.

G. LXXXVII. ISCHOCOILIA.

A Gr. Κοιλία, alvus, et Ἴσχω, retineo : Alvi retentio.

Alvi seu fæcum excretio impedita aut suppressa, plerumque cum dysphoria generali.

Syn. Epistasis (Ἐπίστασις *Hipp.*).
Alvi obstructio rebellis.
Obstipatio. *Cullen.*
Constipatio. *Auct.*
Stypsis. *Ploucq.*

A. Costiveness.
G. Constipation.
Ge. Stuhlverhaltung ; Verstopfung des Leibes.

Variat sede :

α. In intestinis tenuibus.

β. In cæco.

γ. In colo.

δ. In recto.

ε. In ano.

Sp. 1. Ischocoilia *Algematica.*

Alvi suppressio cum dolore ventris, vel ponderis aut molestiæ sensu, præcipue circa umbilicum, accedente sæpe vomitu ingestorum, dein etiam fæcum vel enematum injectorum. Vide *Enteralgia.*

SYN. Ileus. *S. V.*
Passio iliaca. *L. Junck.*
Dolor et spasmus iliacus. *F. Hoffm.*
Cholera sicca.

VARIAT pro causa remota :

α. A spasmo.
β. Ab obstructione canalis intestinalis :
1. Ex calculo.
2. Ex pituita.
3. Ex vermibus.
4. Ex tumore in ipsis intestinis vel in locis vicinis, intestina comprimente.
5. Ex polypo aliisve excrescentiis.
6. Ex fæcibus induratis.
7. Ex nucleis aliisve corporibus extraneis deglutitis.
γ. A plumbo aliisve venenis, aut fungis venenatis assumptis.
δ. Ab imperforatione; aut concretione canalis intestinalis.

ε. Ab hernia incarcerata.
ζ. Ab introsusceptione seu volvulo.
η. A calculo in ductu choledocho hærente.
ϑ. A calculo in uretere impacto.
ι. A phlogosi intestinorum.

Sp. 2. Ischocoilia *Asthenica.*

A defectu aut torpore motus peristaltici.

VARIAT pro causa remota :

α. Ab inirritabilitate, debilitate, paralysi, aut paraplegia.
β. A distentione nimia intestinorum per fæces, gaz elasticum, etc.
γ. A defectu bilis, aut inertia ejusdem.
δ. A defectu fæcum.
ε. A consuetudine prava, seu neglectu alvum deponendi, quando natura invitat.

Sp. 3. Ischocoilia *Stenotica.*

Ex angustia canalis intestinalis.

VARIAT pro causa remota :

α. A contractione spasmodica.
β. A chordapso.
γ. A callositate : Ex inflammatione, ulceribus, aut vulneribus intestinorum prægressis.
δ. A volvulo seu introsusceptione.
ε. A skirrho aut carkinomate, sarcomate, poly-

po, aut excrescentia quacunque in recto vel alia quavis parte canalis intestinalis.

ζ. A calculo aut corpore quovis peregrino in cavitate canalis fixo.

η. A fæcibus induratis, vermibus, pituita accumulata.

θ. A compressione canalis intestinalis:

1. Ex hernia incarcerata.
2. Ex tumoribus vicinis, vel in ipso canali natis.
3. Ex utero gravido, vel ovario aut vesica tumente, etc.
4. Ex hæmorrhoidibus tumentibus.
5. Ex dislocatione intestinorum aut viscerum abdominalium.

ι. A contractione ani vel recti post rhagades, ulcera, aut vulnera.

κ. Ab atresia seu concretione ani vel recti connata.

λ. A contractione vel concretione in quacunque parte intestinorum : Ex inflammatione, ulceribus, aut vulneribus prægressis.

μ. A luxatione coccygis.

ν. Ab apostemate inter vesicam et rectum.

ξ. A vesicæ vitiis, steatomate, etc.

G. LXXXVIII. DYSCOILIA.

A Gr. Δὺς, difficulter, et Κοιλία, alvus : Alvus difficilis.

Fæcum excretio solito rarior, molesta aut difficilis, cum dysphoria generali (*).

A. Difficulty of going to stool.
G. Constipation.
Ge. Harter oder beschwerlicher Stuhlgang.

Sp. 1. Dyscoilia *Tenesmodes* (a gr. Τεινεσμὸς, Tenesmus).

Frequens aut fere perpetuus alvum excernendi stimulus, molestus vel dolorificus, quo plerumque nihil præter mucosa aut cruenta pauca egeruntur.

VARIAT pro causa remota :

α. Ab inflammatione recti vel ani.
β. A rhagade, aut condylomate ani.
γ. Ab ulcere aut carkinomate recti.

(*) Fæcum excretio solito tardior aut rarior habitualis sine dysphoria aut molestia, morbus non est. Exempla hominum extant bona cæterum sanitate gaudentium, qui nonnisi semel omni biduo, triduo, quadriduo, octiduo, imo tardius alvum naturaliter deponunt.

δ. Ab ascaridibus aliisve vermibus in recto nidulantibus.

ε. A bile aliove humore, aut materia acri ad rectum delata.

ζ. A blennorrhagia recti.

η. A dysenteria.

ϑ. Ab hæmorrhoidibus tumentibus.

ι. A fæcibus accumulatis.

κ. A viru syphilitico recto applicato.

λ. A medicamentis acribus assumptis aut per enemata recto applicatis.

μ. A prolapsu recti.

Sp. 2. Dyscoilia *Asthenica.*

A torpore aut segnitie motus peristaltici.

VARIAT pro causa remota:

α. A consuetudine prava, stimulo fæces exonerandi non obediendi.

β. A debilitate aut inirritabilitate canalis intestinalis connata.

γ. A distensione nimia recti per accumulationem fæcum.

δ. A defectu aut inertia bilis.

ε. Ab inedia, aut fæcum defectu.

Sp. 3. Dyscoilia *Stenotica.*

VARIAT pro causa remota,

Ut Ischocoilia stenotica; ea differentia, quod

in dyscoilia stenotica canalis intestinalis pro parte solum obstructus sit.

G. LXXXIX. ISCHOGALACTIA.

Gr. Ἰσχογαλακτία, a Γάλα, γάλακτος, lac : Lactis defectus.

Lactis in mammis puerperæ secretio suppressa, aut excretio ejusdem ex mammis impedita.

SYN. Ἀγάλακτος, *Hipp.*
Agalactia *Ploucq.*

A. A defect of milk in child-bed.
G. Defaut du lait dans les mammelles.
Ge. Mangel an Milch.

Sp. 1. Ischogalactia *Atrophica.*

Ex defectu nutrimenti aut nutritionis orta.

VARIAT:

α. Ab inedia, fame.
β. Ab esculentis aut potulentis pravæ qualitatis ingestis.
γ. A nimio labore, exercitio.
δ. A dyspepsia.

Sp. 2. Ischogalactia *Asthenica.*

Ex debilitate corporis generali orta.

Variat :

α. A febribus aliisve morbis prægressis.

β. Ab evacuationibus nimiis per sudorem, alvum, urinam.

γ. Ab evacuationibus sanguineis aut mucosis profusis : Per lochia nimia, per hæmorrhoides, menstrua, blennorrhœam uterinam.

δ. A graviditate.

ε. A nimia suctione.

ζ. A galactoplania.

Sp. 3. Ischogalactia *Pathematica.*

Ex animi pathematibus, præcipue tristibus orta.

Sp. 4. Ischogalactia *Hydrargyrica.*

Ex usu interno vel externo hydrargyri orta.

Sp. 5. Ischogalactia *Mastica.*

Ex vitiis mammarum aut papillarum orta.

Variat :

α. A phlogosi mammarum vel papillarum.

β. A sclerosi aut skirrho, vel apostemate mammarum.

γ. A læsione aut contusione mammarum.

δ. A nimia pinguedine mammarum.

ε. A mammis pusillis, aut senio extenuatis.

ζ. Ab obstructione vasorum secernentium, aut ductuum excretoriorum mammarum, vel papillarum.

η. Ab adstringentibus, stypticis assumptis, aut externe applicatis.

G. XC. DYSTHELASIA.

Gr. Δυσθηλασία, a δὺς, difficulter, et θήλασις, lactatio.

Incapacitas seu impotentia lactandi.

Syn. Athelasmus *Ploucq*.

A. Incapability of suckling a child.
G. Incapacité d'allaiter.
Ge. Untüchtigkeit zum Saugen.

I. Dysthelasia ex parte nutricis.

Sp. 1. Dysthelasia ex *defectu lactis*.

Vide *Ischogalactia atrophica*.

Sp. 2. Dysthelasia *Mastica*.

Ex vitio mammarum aut papillarum orta.

Variat :

α. Ab obstructione ductuum excretoriorum glandularum mammæ, aut papillarum.

β. A concretione aut cicatrisatione eorumdem.

γ. A defectu papillarum.

δ. A papillis nimis parvis, intropressis, aut latentibus.

ε. A phlogosi mammarum vel papillarum.

ζ. Ab ulcere, aut fissura papillarum.

η. A nimia sensibilitate, aut dolore papillarum.

ϑ. A galactoplania.

ι. A graviditate.

Sp. 3. Dysthelasia ex *vitio lactis*.

VARIAT:

α. A lacte nimis pingui, oleoso, crasso.

β. A lacte nimis aquoso, seroso.

γ. A lacte acri, salso, amaro, acescente.

δ. A lacte pure aut sanguine mixto.

ε. A lactis degeneratione, aut decompositione:

1. Ex animi pathematibus.
2. Ex coitu, aut desiderio ejus vehementiori.
3. Ex medicamentis drasticis, aut acribus assumptis.

Sp. 4. Dysthelasia *Cachectica*.

α. A vitio scrofuloso.

β. A vitio syphilitico.

γ. A dispositione ad phthisin, aut hæmoptysin, hæreditaria vel acquisita.

II. Dysthelasia ex parte infantis.

Impotentia infantis sugendi mammas.

VARIAT pro causa remota:

α. A labio leporino aut fissura palati.
β. A defectu uvulæ.
γ. A frænulo linguæ nimis stricto aut curto.
δ. Ab adhæsione linguæ palato.
ε. Ab aphthis, aut ab ulceribus syphiliticis in ore, faucibus, etc.

G. XCI. DYSPERMASIA.

A. Gr. Δὺς, difficulter, et Σπέρμα, semen.

Seminis excretio difficilis, vel omnino impedita

Sp. 1. Dyspermasia *Organica*.

VARIAT pro causa remota :

α. A defectu seminis in vasis seminalibus, ex secretione ejus impedita, aut ex defectu testiculorum.
β. A vulnere, ulcere, phlogosi aliisve morbis testiculorum, vasis deferentis, aut vesicularum seminalium.
γ. A spasmo, vel nimia irritabilitate aut sensibilitate morbosa harum partium.

δ. A concretione, vitiosa cicatrice, obstructione, aut compressione ductuum excretoriorum vesicularum seminalium aut glandulæ prostatæ.

ε. A calculo eorundem ductuum.

ζ. A defectu, debililate, paralysi earundem partium, vel musculorum acceleratorum.

Sp. 2. Dyspermasia *Urethralis.*

Variat:

α. A stenosi urethræ.

β. Ab orificiis ductuum excretoriorum in urethra vitiosis, ita ut semen non per urethram extrorsum ejici possit, sed retro veru montanum in urethram, aut in ipsam vesicam ejiciatur.

CL. II. O. III. APOPLANESES.

Gr. Ἀποπλανήσεις, ab ἀπὸ, ab, et πλάνη, error: Aberrationes humorum ad loca aliena.

G. XCII. HÆMOPLANIA.

A Gr. Αἷμα, sanguis, et πλάνη, error seu aberratio: Aberratio sanguinis.

Excretio sanguinis ex locis consuetis suppressa, aberrans per loca aliena.

Sp. 1. Hæmoplania *Nasalis.*

Hæmorrhagia narium aberrans.

α. Per canthum oculi.
β. Per fauces.
γ. Per pulmones.
δ. Per uterum (menstrua).
ε. Per hæmorrhoides.

Sp. 2. Hæmoplania *Hæmorrhoidalis.*

Hæmorrhoides aberrantes.

α. Per fauces aut gingivas.
β. Per nares.
γ. Per pulmones.
δ. Per umbilicum.

ε. Per vesicam.

ζ. Per urethram.

Sp. 3. Hæmoplania *Lochialis* (Lochioplania).

Lochia ad aliena loca aberrantia.

Sp. 4. Hæmoplania *Menstrualis* (Menoplania).

Aberratio menstruorum ad loca aliena.

α. Per aures.

β. Per nares.

γ. Per canthos oculorum.

δ. Per poros cutis.

ε. Per poros faciei.

ζ. Per digitos manuum vel pedum.

η. Per nævum.

ϑ. Per gingivas, vel fauces.

ι. Per pulmones.

κ. Per hæmorrhoides.

λ. Per mammillas seu papillas mammarum.

μ. Per umbilicum.

ν. Per ulcus pedum, malleoli.

G. XCIII. GALACTOPLANIA.

Gr. Γαλακτοπλανία (*).

Aberratio lactis in loca aliena.

(*) *Hippocrates* jam, *Prædict.* I., et *coac. prænot.* Purgationis ejus, quæ post partum fieri debet, rationem

Syn. Metastases lacteæ. } *Auct.*
Abscessus lactei. }
Translatio lactis *Darw.*

Lac aberrat utplurimum ex frigore admisso, aut ex terrore, ira.

1. Ad uterum vel ad ovaria.
2. Ad intestina, frequenter in febre puerperali.
3. Ad renes.
4. Ad vesicam.
5. Ad femur aut crus, unde eorum tumor lymphaticus, frequenter aliquot post puerperium dies. Vide *Meroncosis.*
6. Ad pulmones.
7. Ad gingivas, fauces.
8. Per umbilicum.
9. Ad dorsum.

---

habendam esse maximam voluit, ne ad aliena loca delata mulierem in periculum vitæ conjiciat. Si lac mutata sedenaturali ad quamcunque externam corporis partem defertur, ibidem stagnando corrumpitur, unde *abscessus lactei* dicti; si partes interiores petit, *metastasin lacteam* appellant. Morbus hic nostris temporibus frequens, præcipue in magnis urbibus, ubi matres curam infantes suos lactandi nutricibus alienis frequenter committunt. Morbi ex hoc fonte orti utplurimum non solvuntur, nisi magna lactis copia per alvum, vesicam aut uterum evacuetur.

κ. In cavum abdominis.

λ. In cavum canalis intestinalis.

μ. Ad cerebrum, unde kephalagia, mania, paralysis.

G. XCIV. PYOPLANIA.

Puris ex parte primario affecta absorptio, ejusque ad loca aliena depositio.

G. XCV. UROPLANIA.

Urinæ aberratio ad loca aliena.

Urina secedente:

α. Per vomitum.

β. Per alvum.

γ. Per sudorem.

δ. Per umbilicum.

ε. Per perinæum.

ζ. Per rectum.

η. Per ureteres externe apertos.

ϑ. Per urethram læsam, perforatam, corrosam, ruptam.

ι. Per vaginam.

κ. Per poros cutis.

λ. In abdomen effusa ex vesica perforata.

μ. Ad cerebrum delata (utplurimum lethalis).

G. XCVI. HIDROPLANIA.

A Gr. Ἱδρὼς, sudor seu transpiratio, et πλάνη, error : Aberratio urinæ.

Transpirationis aut sudoris aberratio aut translatio ad loca aliena.

α. Ad intestina; unde dysenteria, diarrhœa.
β. Ad pulmones; unde pneumonitis, pleuritis rheumatica, catarrhus.
γ. Ad vesicam; unde kystitis, vel blennorrhagia aut blennorrhœa vesicalis.
δ. Ad musculos varios, præcipue extremitatum; unde myodynia, osphyalgia, etc., etc.

G. XCVII. METASTASIS.

Gr. Μετάστασις a μεθίστασθαι, transire, demigrare, transferri : Translatio materiæ ex uno loco in alium.

Sp. 1. Metastasis *Febrilis, exanthematica.*

Materia aberrante :

α. Ad glandulas parotides.
β. Ad intestina.
γ. Ad renes.
δ. Ad cutem.
ε. Ad fauces, vel glandulas salivales.
ζ. Ad vesicam.

η. Ad testiculos.
ϑ. Ad vulvam.

Sp. 2. Metastasis *Podagrica, rheumatica, erysipelatosa.*

Materia aberrante ex sede sua primaria:
α. Ad cerebrum.
β. Ad pulmones.
γ. Ad ventriculum.
δ. Ad intestina.
ε. Ad renes.
ζ. Ad vesicam.
η. Ad testiculos.
ϑ. Ad uterum vel ovaria.
ι. Ad vasa hæmorrhoidalia.
κ. Ad hepar.
λ. Ad oculos.
μ. Ad cerebrum.

Sp. 3. Metastasis *Syphilitica.*

Materia aberrante ex sede sua primaria in genitalibus, etc.:
α. Ad fauces.
β. Ad oculos, vel aures.
γ. Ad caput.
δ. Ad cutem.
ε. Ad palmas manuum.
ζ. Ad ossa, præcipue immediate sub cute posita, musculis non tecta; præcipue:

Ad ossa cranii, vel nasi.
Ad os humeri, claviculæ, sterni.
Ad os tibiæ, vel radii.
Ad ossa tarsi, vel carpi.

Sp. 4. Metastasis *Scrofulosa.*

α. Ad glandulas mesenterii.
β. Ad glandulas colli oris, aut faucium.
γ. Ad glandulas subaxillares.
δ. Ad glandulas inguinales.
ε. Ad articulos ossium, præcipue ad genu aut ad digitos pedum vel manuum.
ζ. Ad pulmones.

Sp. 5. Metastasis *Herpetica*, tineæ, achorum, psoræ, ulcerum aut fonticulorum etc., præpostere siccatorum.

α. Ad oculos.
β. Ad aures.
γ. Ad pulmones.
δ. Ad ventriculum.
ε. Ad intestina.
ζ. Ad vesicam aliasve partes aut viscera quæcunque.

Sp. 6. Metastasis *Biliosa.*

Translatio bilis ad loca aliena.

CL. III. DYSERETHISIÆ
ET
DYSÆSTHESIÆ.

A Gr. ἘΡΕΘΙΣΜῸΣ, irritatio, unde Ἐρέθισις, irritabilitas; et ΑἸΣΘΗΣΊΑ, sensibilitas.

Character. Morbi ex irritabilitate fibrarum motricium seu muscularium; vel ex sensibilitate nervorum aut sensorii communis abnormi: aucta; vel imminuta, aut abolita.

Synonyma. Nevroses. *Cull.*
Morbi nervorum. *Auct.*

ORDINES ad hanc classem pertinentes sunt:

ORDO I. ECLYSES.
II. SPASMI.
III. ALGEMATA.
IV. DYSKINESIÆ.
V. DYSOREXIÆ.
VI. PARANOIÆ.

OBSERVATIONES GENERALES.

Theoria morborum ex irritabilitate aut sensibilitate abnormi orientium, veteribus fere ignota, nonnisi sæculo præcedente primo opera *Halleri* elucidata, deinde à *Fel. Fontana* exculta, et postea, maxime observationibus et experimentis D^ris^ *Thouvenel* et *Galvani*, aliorumque recentiorum illustrata et stabilita fuit.

Ad rectius intelligendos morbos, de quibus in hac classe agitur, memores eorum, quæ alibi in proëmiis ad Pharmacologiam ac Pharmacopœiam nostram monuimus, ante omnia, terminos physiologicos æque ac pathologicos, exacte et distincte definire necessarium esse judicamus, ut nihil vagi aut ambigui in eorum applicatione nosologica maneat. Ad hunc scopum rite obtinendum sequentia præmittere juvabit.

Corpus animale vivum tribus præcipue facultatibus seu proprietatibus gaudet quarum,

I^ma^ est *Vis plastica* (gr. Πλαστικὸς, formativus, à Πλάσσω, formare, effingere), qua tota corporis nostri compages, ejusque organa varia,

modo summe mirando ad certum finem, aut pro usu determinato, in fœtu non solum efformantur, sed etiam per totum vitæ cursum constanter, sine ullo animæ aut virium intellectualium concursu, constanter et exacte reparantur, et conservantur.

II^da^ est *Irritabilitas* fibris motricibus insita, qua musculi albi vel rubri facultatem possident, sese à stimulo applicato evidenter et visibiliter contrahendi. Hæc vis motrix activa essentialiter differt ab elasticitate seu contractilitate passiva fibrarum primitivarum corporis.

III^tia^ est *Sensibilitas*, seu *Sensilitas* dicta; vis nervis propria, qua facultatem possident, impressiones varias eorum extremitatibus in superficie corporis applicatas non solum recipiendi, sed et percipiendi, eosdemque cum conscientia perceptos, ad sensorium commune, et ex hoc denuo per fibrillas nerveas in variis directionibus ad diversas corporis partes propagandi.

Motus itaque *irritativi* in fibris motricibus, seu muscularibus cordis, arteriarum, vel organorum secretoriorum et excretoriorum, aut in musculis voluntati subjectis; motus vero *sensitivi* in nervis per totum corpus dispersis, et in cerebro seu sensorio communi locum habent.

Ab hisce tribus viribus simul junctis, non solum motus et sensationes in organis motricibus et nervis, sed etiam facultates organorum et viscerum variorum, hinc circulatio, respiratio, sanguificatio, digestio, assimilatio, nutritio, secretiones et excretiones diversæ, etc. dependent. Hæ vires præterea, simul sumptæ, et debite ac proportionate inter se agentes, *Vim vitæ* proprie dictam, seu *Robur corporis activum* constituunt.

Principium autem, cujus præsentia in corpore ad motus irritativos, æque ac sensitivos producendos necessaria esse videtur, est *Fluidum nerveum*, ab aliis *Vis nervea*, et à recentioribus pluribus etiam *Fluidum galvanicum* appellatum. Hoc fluidum cum fluido æthereo, quod in universo attractionem astrorum, in globo nostro terrestri magnetismum ac phenomena electricitatis aëreæ ac subterraneæ producit, unum idemque mihi esse videtur; in corpore animali solum, pro diversitate organorum, diversimode modificatum.

Certa quantitas hujus fluidi in nervis et musculis semper præsens requiri videtur, ut facultatem seu dispositionem ad sensationem et motum retineant. Si hæc quantitas fluidi nervei debita nervo aut musculo non inest,

à stimulo applicato nec sensatio, nec motus sequitur.

Incitamenta autem, seu stimuli, nervos et musculos in actionem ciendi capaces, primarii sequentes sunt: 1°. Stimuli chemici vel mechanici corpori externe applicati; 2°. Stimuli in sensorio communi ab oblectamento aut dolore, vel a desiderio aut aversione orti 3°. Stimulus a voluntate nervis et musculis applicatus; 4°. Stimuli ab actione organorum diversorum corporis inter se nati, ideoque recte incitamenta *Associationis* appellati.

Organa vero corporis diversa, diversos requirunt stimulos ad eadem in actionem cienda. Motus cordis in statu naturali a sanguine, in suo per pulmones transitu certa quantitate oxygenii impregnato, excitatur; Ventriculus ab ingestis; Renes ab urina; Vesica urinaria et Intestina à mole aut acrimonia contentorum in motum cientur; dum musculi voluntati subjecti, nonnisi quantitate fluidi nervei majore in eos per voluntatem impulsa obedire videntur. Cor et systema arteriosum in actionem cientur stimulis longe diversis ab iis, quos systema vasorum absorbentium ad sui actionem requirit; imo inter hæc duo vasorum systemata differentia talis est, ut medicamenta, quæ actionem cordis et arte-

riarum mire imminuunt, actionem vasorum absorbentium potenter augere videantur.

Ex altera parte Incitabilitas, id est, dispositio musculorum ad motum, et nervorum ad sensationem, ex stimulo applicato major vel minor esse potest; hinc ex incitabilitate aucta idem effectus producitur a minore quantitate fluidi nervei, ac ex incitabilitate imminuta a majore quantitate ejusdem fluidi præsente. Incitamenta, quæ sensationem in nervis causant, differunt ab iis, qui motum in fibris muscularibus producunt. Stimuli ipsi diversa organa sensuum afficientes inter se multum differunt. Impressiones, quæ in nervos cutis valide agunt, nullum in organo gustus vel olfactus saporem, vel odorem excitant. Radii solares qui in organo visus affectus adeo mirabiles gignunt, organum auditus inaniter feriunt. Eadem ratione musculi voluntati subjecti a voluntate in sensorio communi nata in motum cientur, cum cor nonnisi sanguini oxygenato obedit; et oxygenatio sanguinis ipsa, ab actione pulmonum ac nervorum respirationi inservientium juncta, dependet; hinc debilitas actionis cordis, aut etiam ejusdem cessatio completa a sanguinis copia majore e corpore sublata, aut a sanguine in suo per pulmones transitu non, aut minus sufficien-

ter oxygenato, ad ventriculum cordis sinistrum impulso.

Quantitas et vigor motus in musculis, ac sensationis in nervis, et actionis in aliis diversis organis et visceribus corporis, cæteris paribus semper proportionata esse videtur quantitati fluidi nervei, simul ac quantitati stimuli aut incitamenti applicati. Ubi quantitas utriusque requisita adest, obtinetur Robur et Vigor actionis debitus seu Normalis. Ubi vero quantitas unius vel alterius, aut utriusque, justo minor aut deficiens est, oritur Torpor aut Debilitas actionis in pluribus aut omnibus corporis functionibus. Vim vitæ a fluido nerveo dependentem *intensivam* seu *internam*; vim vitæ autem a stimulo applicato dependentem *extensivam* seu *externam* dixerunt. Itaque si quantitas fluidi nervei in corpore eadem manet, sed stimulus quantitate aut qualitate minor applicatur, oritur *debilitas ex defectu stimuli*; si quantitas aut qualitas stimuli eadem manet, sed quantitas fluidi nervei in corpore diminuitur, oritur *debilitas ex defectu fluidi nervei*. Priorem *Debilitatem directam*; posteriorem *Debilitatem indirectam* appellavit Brown.

In fibris præterea muscularibus, constanti aut perpetuo stimulo subjectis, ut in corde,

arteriis, glandulis aut vasis capillaribus, aliud phenomenon notatu dignum observamus. Si hisce organis, constanter et sine remissione agentibus, stimulus solito minor applicatur, fluidum nerveum in iis accumulari videtur; hinc postea etiam a minori stimulo applicato idem effectus producitur, ac a stimulo majori cui antea assueta fuerant. Si stimulus omnis tollitur, primo dysphoria generalis, dein dolor, et tandem mors, ex mutatione chemica fluidorum vel solidorum sequitur; sed si stimulas, post suspensam per certum tempus organi actionem, minori quantitate denuo caute applicetur, actio normalis redit.

Ex quantitate fluidi nervei in corpore justo minore aut deficiente, continuante qnantitate stimuli solita, contractiones cordis et arteriarum frequentiores, sed debiliores fiunt; inde pulsus debilis et sæpe ad 140 pulsationes intra minutum auctus observatur in Asthenopyris. —Idem effectus obtinere videtur, si quantitas stimuli solito minor applicatur, subsistente interea quantitate fluidi nervei consueta; et sic sensatio lassitudinis, aut debilitas musculorum voluntariorum sæpe producitur in febribus ex aucta cordis et arteriarum actione, quæ fluidum nerveum exhaurit; et vice versa, ab exercitio mentis vel corporis violento, aut

diutius continuato, actionem cordis et arteriarum debilitatam non raro observamus.

Ad hactenus allata, sub uno quasi intuitu, distincte conspicienda, sequentem tabulam, varios irritabilitatis et sensibilitatis, ac vis vitalis gradus seu status in corpore sano et morboso obvios, terminis fixis et exactis hic subjungere utile duxi.

I. IRRITATIO seu Erethismus (gr. Ἐρεθισμός).

Irritabilitas musculorum : Erethisis (gr. Ἐρέθισις).

Irritabilitas musculorum normalis : Euerethisia (gr. Εὐερεθισία).

Irritabilitas musculorum abnormis : Dyserethisia (gr. Δυσερεθισία).

Irritabilitas musculorum justo major, seu nimia : Hypererethisia (gr. Ὑπερερεθισία).

Irritabilitas justo minor, seu deficiens : Anerethisia (gr. Ἀνερεθισία).

II. SENSATIO (gr. Αἴσθημα).

Sensibilitas seu sensilitas nervorum et sensorii communis : Aesthesis (gr. Αἴσθησις).

Sensibilitas nervorum et sensorii communis normalis : Euaesthesia (gr. Εὐαισθησία).

Sensibilitas abnormis, seu morbosa : Dysaesthesia (gr. Δυσαισθησία).

Sensibilitas justo major, seu nimia : Hyperaesthesia (gr. Ὑπεραισθησία).

Sensibilitas justo minor, seu deficiens : Anaesthesia (gr. Ἀναισθησία).

III. INCITABILITAS (gr. Κίνησις).

Irritabilitas musculorum et sensibilitas nervorum simul sumptæ.

Incitabilitas normalis : Eukinesia (gr. Εὐκινησία).

Incitabilitas abnormis s. morbosa : Dyskinesia (gr. Δυσκινησία).

Incitabilitas nimia : Hyperkinesia (gr. Ὑπερκινησία).

Incitabilitas deficiens : Akinesia (gr. Ἀκινησία).

Incitabilitas segnis, tarda ; Bradykinesia (gr. Βραδυκινησία).

IV. VIS VITÆ seu Robur corporis activum, græcis Sthenos (Σθένος) dictum (*).

(*) Robur in corpore duplex occurit, *activum*, vim vitæ proprie constituens, et cum vita cessans *sthenos* græc., de quo hic sermo est; alterum *passivum* a cohæsione et crassitie staminum seu fibrarum primitivarum corporis dependens, tamdiu post mortem remanens, donec decompositio corporis chemica supervenit, græcis *Tonus* fibrarum dictus, de cujus statu abnormi vide infra Cl. IV. G. *Atonia*.

Robur seu vis vitæ normalis : Eusthenia (gr. Εὐσθένεια).

Robur seu vis vitæ abnormis : Dysthenia (gr. Δυσθένεια).

Vis vitæ justo major seu Robur activum corporis nimium : Hypersthenia (gr. Ὑπερσθένεια).

Vis vitæ languens, seu roboris activi in corpore defectus, seu debilitas : Asthenia (gr. Ἀσθένεια).

V. TONUS (gr. Τόνος).

Robur corporis passivum, a cohæsione et crassitie staminum seu fibrarum primitivarum dependens, latinis Tensio, seu cohæsio elastica fibrarum.

Tonus normalis seu cohæsio et elasticitas æque ac crassities fibrarum debita : Eutonia (gr. Εὐτονία).

Tonus abnormis : Dystonia (gr. Δυστονία).

Tonus fibrarum nimius : Hypertonia (gr. Ὑπερτονία), fibra stricta *lat.*

Tonus fibrarum justo minor seu deficiens : Atonia (gr. Ἀτονία), fibra laxa seu tenuis *lat.*

Hæ vires activæ et passivæ, mox recensitæ, id est, irritabilitas fibrarum muscularium et sensibilitas nervorum ac sensorii communis vim vitæ constituentes ex una, et cohæsio elastica,

elastica, ac crassities vel tenuitas fibrarum primitivarum corporis, vario gradu et diversimode inter se junctæ, in corpore animali cum libero et constanti diversarum ejus functionum exercitio, seu cum sanitate perfecta adesse possunt. Hic status in diversis hominibus diversus, *Temperies* seu TEMPERAMENTUM, vel habitus seu constitutio corporis EUCRASIA (gr. ΕΥ̓ΚΡΑΣΊΑ) eaque cuivis individuo propria, IDIOSYNCRASIA (gr. ἸΔΙΟΣΥΓΚΡΑΣΊΑ) audit. Temperamentorum igitur varietates, quas veteres potissimum a fluidis deduxerunt, rectius et pro medico practico fertilius a viribus corporis activis et passivis explicari posse autumo, modo fere sequenti:

I. Incitabilitas pauca cum cohæsione et crassitie fibrarum primitivarum corporis magna (fibra stricta) Temperamentum veterum *Melancholicum* constituit. Sunt his hominibus pili nigri, color cutis profunde fuscus, sæpe fere niger, siccitas et macilentia magna; cæterum cunctatio, constantia, consuetudinis, mente et corpore contractæ, tenacitas obstinax: Dispositio ad Paranoias et ad emphraxin vasorum et viscerum abdominalium.

II. Incitabilitas pauca cum fibra laxa, crassiore Temperamentum *Phlegmaticum* notat.

Distinguuntur Phlegmatici pilis albis, tenuibus, tarde crescentibus; glabritie et albedine cutis; mollitie, crassitie et pinguedine corporis; pulsu parvo, tardo, venis angustis, latentibus; tarditate functionum mentis et corporis; timiditate: Dispositio ad morbos pituitosos, hydropes.

III. Incitabilitas facilis cum fibra laxa, crassiore Temperamentum *Sanguineum* distinquit, pilis rarioribus, flavo-albis aut flavescentibus, quandoque etiam fuscis; cute alba, genis sæpe roseo colore; carne molli, copiosa; venis amplis cæruleis; mobilitate mentis et flexilitate corporis facili; iracundia cito transiente notatum: Dispositio ad morbos inflammatorios.

IV. Incitabilitas major cum fibra crassa, densa, elastica Temperamentum *Cholericum* seu *Biliosum* notat, pilis copiosis, nigris, vel rubescentibus crispis; colore cutis fusca; duritie, macilentia et gracilitate carnis; venis amplis; pulsu magno, forti, celeri; iracundia et pertinacia distinctum.

V. Incitabilitas magna, sed actio vis vitalis debilis cum fibra laxa, tenui, hodie adeo frequenter occurrens, Temperamentum *delicatulum*, vulgo etiam *Irritabile*, seu *Nerveum* dic-

tum constituit. His sunt cutis alba, glabra; pili tenues, flavoalbi; corpus gracile; pulsus parvus, debilis, frequens, irregularis, et ex levi causa mutabilis; secretiones et excretiones modo solito copiosiores, modo suppressæ; mira functionum mentis et corporis inconstantia, mobilitas: Dispositio ad spasmos, asthenopyras, metastases.

VI. Incitabilitas moderata cum fibra crassa, densa, elastica, ac robore et vigore functionun diversarum corporis; pili crassi, copiosi toto corpore; musculorum torositas; pulsus magnus, fortis, Temperamentum *Boëticum*, seu robustum constituunt.

CL. III. O. I. ECLYSES.

A Gr. Ἐκλυσεις, debilitates, exsolutiones.

CHARACTER. MORBI ex irritabilitate fibrarum muscularium, vel ex sensibilitate nervorum diminuta aut abolita, orti.

SYN. Comata et Adynamiæ. *Cull.*
Comata. *S.*
Soporosi. *L.*
Adynamiæ. *V.*
Nervorum resolutiones.
Affectus soporosi. } *Fr. Hoffm.*

Genera ad hunc ordinem spectantia sunt :

GENUS I. ANERETHISIA.
II. ANÆSTHESIA.
III. ASTHENIA.
IV. CATAPHORA.
V. APOPLEXIA.
VI. PARALYSIS.
VII. SYNCOPE.
VIII. APNŒASPHYXIA.

CL. III. O. I. ECLYSES.

G. XCVIII. ANERETHISIA.

Gr. Ἀνερεθισία, ab α neg. et Ἐρεθισμὸς, irritatio, seu Ἐρέθισις, irritabilitas : Inirritabilitas.

Musculorum irritabilitas imminuta vel deficiens; seu impotentia fibrarum muscularium a stimulis consuetis applicatis agendi, aut debito vigore ac promptitudine sese contrahendi.

A. Want of irritabitity.
G. Defaut d'irritabilité.
Ge. Unreizbarkeit.

Varietas Anerethisiæ est :

1. *Paresis* (Gr. Πάρεσις, aut etiam Βλακία), seu Torpor aut languor, vel segnities musculorum ad motum.

A. Anerethisia generalis.

Sp. 1. Anerethisia *Exhaustionis.*

Anerethisia a stimulis fortioribus, aut a stimulis solitis diutius applicatis, exhaustorum.

Variat pro causa remota:

α. Ab hyperkinesia, spasmis, epilepsia, dolore prægressis.

β. A scorbuto, febribus etc. prægressis.

γ. A venenis narcoticis assumptis.

δ. Ab abusu stimulantium spirituosorum.

ε. A calore aut frigore intenso diutius applicato.

η. A senio.

Vide etiam infra *Asthenia*.

Sp. 2. Anerethisia *Suppresionis*.

Ab irritabilitate suppressa orta.

Variat pro causa remota:

α. Apoplectica, syncoptica etc.

β. Pathematica.

γ. Venenata.

δ. A stimulis solito debilioribus applicatis.

ε. A calore aut frigore intenso.

ζ. Ab apnœasphyxia seu suffocatione.

η. A somno nimio, otio constanti, defectu exercitii corporis.

θ. A dyscrasia humorum pituitosa.

ι. Traumatica: a vulnere, ictu, lapsu, concussione capitis.

κ. A compressione cerebri: ex sanguine, aqua,

pure extravasatis; aut ab exostosi, fractura ossium etc.
Vide *Asthenia*.

B. Anerethisia topica.

Species et Varietates fere eædem sunt, ac astheniæ localis. Vide *Asthenia*.

G. XCIX. ANÆSTHESIA.

Gr. Ἀναισθησία, ab α neg. et Αἴσθησις, sensibilitas: Insensibilitas.

Nervorum sensibilitas imminuta vel deficiens, seu incapacitas nervorum aut sensorii communis impressiones sensibus externis aut cerebro applicatas percipiendi vel propagandi.

A. Insensibility; defect of sensation.
G. Insensibilité; engourdissement des nerfs.
Ge. Unempfindlichkeit.

Varietas Anæsthesiæ est:

Narcosis (gr. Νάρκωσις), *lat.* Stupor seu torpor nervorum, præcipue in extremitatibus, transitorius cum sensu formicationis in parte.

A. Anæsthesia generalis.

1. *Hœreditaria* vel *Congenita*.
2. *Acquisita*.

Variat pro causa remota:

α. Ab educatione rudiore.
β. A vitæ genere laborioso, duriore.
γ. A fibra stricta, crassiore, vel etiam solito laxiore.
δ. A dyscrasia humorum pituitosa.
ε. A temparamento melancholico vel phlegmatico.
ζ. A senio.
η. A defectu exercitii sensorii communis et facultatum intellectualium.
ϑ. A somno habitualiter justo longiore.
ι. A paranoia.
ϰ. Ab energia voluntatis sensibilitatem contraagente.
λ. A stimulis solito levioribus applicatis.

Sp. 1. Anæsthesia *Exhaustionis*.

Ex defectu secretionis fluidi nervei, vel ex ejusdem copia majori per stimulos solito fortiores, aut longiori tempore applicatos, exhausta.

Variat :

α. Ab hyperkinesia, scorbuto, aliisve morbis fluidum nerveum exhaurientibus, prægressis.

β. Ab animi intentione solito fortiore aut diutius continuata.

γ. A doloribus violentis prægressis.

De reliquis, vide *Anerethisia* et *Asthenia*.

Sp. 2. Anæsthesia *Suppressionis*.

Ex suppressione sensibilitatis orta.

Variat fere ut *Anerethesia* et *Asthenia*.

G. C. ASTHENIA.

Gr. Ἀσθένεια, ab α negat. et Σθένος, robur corporis activum : Roboris activi corporis, vel vis vitæ defectus ; seu debilitas aut imbecillitas corporis.

Vis vitæ, id est, irritabilitas musculorum, et sensibilitas nervorum sensoriique communis, simul ac organorum viscerumque variorum corporis actio diminuta, et ad functiones eorumdem rite perficiendas insufficiens ; hinc motus et sensationes, æque ac digestio, circulatio, respiratio, sanguificatio, assimi-

latio, nutritio, secretiones et excretiones languentes, aut vario modo turbatæ (*).

Syn. Habitus corporis debilis.
Constitutio corporis debilis.
Imbecillitas; debilitas generalis.
Akinesia (acinesia *Auct.*)

A. Weakness; general debility.
G. Débilité; foiblesse du corps.
Ge. Schwäche des Kœrpers; Kraftlosigkeit.

Sp. 1. Asthenia *Exhaustionis.*

Debilitas a vi vitæ exhausta.

Incitabilitas musculorum ac nervorum, et actio organorum imminuta, torpor; aut ejusdem a stimulis solitis applicatis reactio levior et debilior a defectu fluidi nervei, vel sufficiente quantitate non secreti, aut ejusdem secreti copia per stimulos applicatos exhausta.

Syn. Debilitas intensiva.
——— interna.
——— ex defectu fluidi nervei.
——— indirecta *Brown.*
——— vera *Auct.*

(*) Debilitas natnralis seu habitualis corporis connata vel acquisita sine læsione functionum, morbus non est.

A. Vital powers exhausted.
G. Epuisement des forces vitales.
Ge. Erschöpfung der Lebenskräften.

Variat pro causa remota:

α. A defectu nutritionis : ex diæta prava aut ex causis internis assimilationem et nutritionem impedientibus. Vide *Atrophia*.
β. Ab usu aquæ impuræ habituali.
γ. A vita consueta in atmosphæra humida, nebulosa, variis heterogeneis imprægnata.
δ. Ab habitatione humida, frigida, ventis noxiis aut effluviis paludosis exposita; vel ex situ ejusdem super strata terræ, effluvia noxia exhalantia (**).
ε. A morbis acutis vel chronicis gravibus præsentibus, vel prægressis.
ζ. Ab evacuationibus sanguineis, aliisve excretionibus nimiis, aut diutius continuatis, ulceribus, fonticulis etc. corpus exhaurientibus.
η. A lactatione diutius continuata.

(**) Ex hoc fonte, ut Bruce de Senaar refert, ingens infantum et equorum in hac urbe mortalitas; ex eadem causa in alpibus aut locis montanis incolæ domuum super aquas subterraneas, aut super strata lithantracum, aliorumve mineralium sitarum, sæpe mente et corpore imbecilles et infirmi evadunt.

ϑ. Ab excessu veneris: Coitu nimio, anaphlasi aut aselgotripsia.

ι. A vigiliis nimiis.

κ. A nimio corporis exercitio.

λ. A nimia mentis intentione.

μ. Ab animi pathematibus vehementibus, maxime metu, mœrore, terrore, ira, aut desiderio intenso non satisfacto.

ν. Ab incremento corporis subito, tempore pubertatis.

ξ. A senio.

ο. Ab abusu spirituosorum, aliorumve stimulantium.

π. Ab abusu opii aliorumque narcoticorum.

ρ. A stimulantibus solito fortioribus vel longiori tempore administratis.

σ. A venenis ingestis, vel alio modo corpori applicatis, quæ sanguinis dissolutionem subito, vel gradatim inducunt.

τ. A substantiis ingestis, vel alio modo corpori applicatis, quæ fluidum nerveum exhauriunt: Huc miasmata et effluvia noxia varia, ventus *Sirocco* dictus, æstus nimius, frigus intensum.

υ. A crisi febrili prægressa.

φ. A dolore violento vel diutius durante.

χ. A convulsionibus, ut ptarmo, hyperemesia, epilepsia etc. diutius continuantibus.

Sp. 2. Asthenia *Suppressionis*.

Debilitas a vi vitæ suppressa.

Lassitudo et languor ad motum musculorum, præcipue voluntati subjectorum; pulsus irregularis, lentus vel acceleratus, debilis, tremulus, intermittens, vel suppressus; frigus extremitatum; sensationes erroneæ, vel insensibilitas; dispositio ad leipothymiam; cataphora vel torpor sensorii communis. Morbus sæpe subito sine causa apparente prægressa ortus, et eodem modo disparens; remediis incitantibus, roborantibus ingravescens, sed ablata causa remota, evacuantibus, refrigerantibus, antispasmodicis etc. sæpe cito levandus. (*)

SYN. Debilitas spuria *Auct.*
——— directa *Brown.*
——— ex defectu stimuli.

(*) Asthenia partialis aut localis sæpe a vi vitæ suppressa oritur. In asthenia suppressionis frequenter accumulatur fluidum nerveum et vis vitæ postea augetur. Suppressio vis vitalis diutius durans in astheniam exhaustionis abit; seu musculorum et nervorum actio diutius suspensa aut suppressa, inirritabilitatem et insensibilitatem completam sæpe inducit. Musculi et nervi diutius quieti facultatem sese movendi et sentiendi perdunt.

Variat pro causa remota :

α. A defectu stimuli consueti.
β. A plethora (*).
γ. Ab evacuationibus sanguinis consuetis suppressis.
δ. A crisi febrili imminente.
ε. Ab animi pathematibus : ira, terrore, etc.
ζ. Ab imaginatione erronea, exaltata.
η. A spasmis vel convulsionibus.
θ. Ab hyperkinesia.
ι. A saburra primarum viarum.

A. Asthenia acuta seu febrilis.

Asthenia cum pyrexia juncta et plerumque ab exhaustione orta.

Magna functionum plurium corporis pertubatio, hæcque eo major quo vis vitæ debilitata diutius aut vehementius incitata fuit; hinc pulsus irregularis, lentus, aut acceleratus, frequentissimus, debilis vel durus, parvus, tremulus, quandoque intermittens; syncope ex levi corporis motu; respiratio irregu-

(*) Plethora, vel hyperkinesia laborantes sæpe de symptomatibus astheniæ queruntur, nunc apparenter summe debiles, imo quasi morti proximi; momento post robore solito gaudentes.

laris, accelerata, vel lenta, difficilis, parva; secretiones et excretiones abnormes, unde cutis sicca, aspera aut lævis, dura; vel sudor profusus, viscidus, frigidus, præcipue in fronte, collo, pectore; lingua sicca, fissa, vel crusta fusca aut nigra tecta, cum difficultate eam exerendi; frigus et pallor cutis sæpe cum ardore intenso partium internarum ac summa anxietate; alvus suppressa, vel aquosa, discoloris, nigra, cruenta; urina difficilis, suppressa, vel copiosa, limpida, cruda, aut crassa, turbida; hæmorrhoeæ variæ; maculæ cutis fuscæ, nigræ, gangrænescentes; facies collapsa; nasi apex acutus, frigidus; os apertum; oculi languidi, fracti; immobilitas pupillæ; dacryrrhœa invita; dyscataposia; raucedo, debilitas aut clangor vocis, loquela hæsitans; alysmus, suspiria aut ejulatus frequentes; singultus; tremor manuum, subsultus tendinum aut spasmi locales; dolores; sensationes erroneæ, vel insensibilitas; carphologia; decubitus insolitus, impudicus; denudatio partium, remotio integumentorum; æger constanter ad pedem lecti ruens; judicium et imaginatio perversa; animus despondens vel circa statum corporis, aut circa officia et negotia consueta, vel circa necessaria ad vitam indifferens; amnesia; delirium mite, vel cataphora. Hæc symptomata

nunquam omnia simul, sed plura aut pauciora in febribus adsunt.

B. Asthenia chronica.

Incitabilitas abnormis, id est, irritabilitas et sensibilitas vel justo major, vel deficiens; pulsus debilis, mollis, parvus, irregularis, tardus, vel acceleratus; organorum et viscerum variorum actio debilis aut irregularis : hinc digestio, sanguificatio, nutritio etc. vitiatæ, secretiones et excretiones vel justo copiosiores, sæpe qualitate peccantes, vel solito parciores; a levi motu lassitudo et respiratio celeris; extremitates constanter frigidæ vel ad frigus valde dispositæ; cutis pallida, mollis, laxa; æger modo de frigore modo de calore abnormi, nunc de cute sicca, nunc de sudore profuso querens. Morbus sæpe cum atonia seu cohæsione debili, aut teneritudine fibrarum primitivarum corporis junctus.

Astheniæ locales sunt :

1. Asthenia *muscularis*.

Fibrarum muscularium irritabilitas abnormis, vel languens vel nimia.

2. Asthenia *Nervosa*.

Sensibilitas nervorum abnormis, vel justo major vel torpens.

3. Asthenia

3. Asthenia *Cardiaca.*

Actio cordis et systematis arteriosi languens aut justo debilior; pulsus irregularis, tardus, vel summe acceleratus, debilis et parvus, aut mollis et plenus; quandoque tremulus; plerumque cum languore et sensu lassitudinis musculorum voluntariorum; secretiones et excretiones variæ abnormes. Morbus maxime ex vitio organico cordis vel arteriarum ortus.

4. Asthenia *Venosa.*

Actio venarum solito debilior; unde ecchymoses aut maculæ vel vibices cutis, in variis corporis partibus, lividæ; varices; hæmorrhoeæ variæ; oëdemata extremitatum; emphraxis vasorum, glandularum, vel viscerum.

5. Asthenia *Vasorum absorbentium.*

Vasorum lymphaticorum seu absorbentium actio diminuta; unde hydropes, emphraxes aut tumores varii.

6. Asthenia *Glandularis.*

Glandularum variarum corporis actio diminuta; unde tumores, durities, vel skirrhi earundem.

7. Asthenia *Pulmonum*.

Actio pulmonum justo debilior; unde sanguificatio et assimilatio humorum imperfecta.

8. Asthenia *Ventriculi*.

Dysorexiæ variæ, dyspepsia, bradypepsia; ructus; hyperemesia; gasteralgia; tussis gastrica; atrophia; erythema aut pusutulæ faciei.

9. Asthenia *Intestinorum*.

Flatulentia; diarrhœa vel alvus adstricta; atrophia.

10. Asthenia *Hepatis*.

Emphraxis hepatis; icterus; cholelithiasis; vel tumor et dolor in hypochondrio dextro, aut etiam in epigastrio, durus; tussis hepatica; anxietas et oppressio ad præcordia; dyspnœa.

11. Asthenia *Splenis*.

Emphraxis splenis; dolor et tumor in hypochondrio sinistro durus; anxietas; flatulentia, dyspepsia.

12. Asthenia *Renum*.

Tumor ad latus unum vel utrumque

dorsi in regione renum; urolithiasis; ischuria; zoster in latere affecto.

13. Asthenia *Vesicæ.*

Dysuria vel ischuria; urolithiasis; blennorrhœa vesicalis.

14. Asthenia *Testiculorum.*

Secretio seminis impedita; astysia; orchioncus varius. Vide *Orchioncus.*

15. Asthenia *Ovariorum.*

Ischomenia; sterilitas; anaphrodisia; chlorosis; Ovarioncus varius. Vide *Ovarioncus.*

G. CI. CATAPHORA.

Gr. Καταφορὰ, a καταφέρω, deorsum vergo: Propensitas ad somnum morbosa; sopor.

Somnolentia gravis, difficulter excutienda, seu sensuum ac motuum voluntariorum feriatio abnormis, ex vitio cerebri.

A. Lethargy.
G. Thyphomanie; léthargie; assoupissement carotique.
Ge. Schlafsucht.

Varietates Cataphoræ sunt:

A. Coma (gr. Κῶμα), idem fere significans ac cataphora apud Galenum et Hippocratem; scilicet sopor altus, in quem æger, etsi quovis modo excitetur et evigilet, tamen mox iterum illabitur.

B. Coma *comatodes*, seu coma somnolentum (gr. Κῶμα ὑπνῶδες), idem est ac cataphora hypnodes *Auct.*

C. Coma *vigil* (Κῶμα ἀγρυπνῶδες, *Hipp.*).

Morbus in quo æger oculis clausis cum summa ad somnum propensitate instar dormientis jacet, etsi dormire non possit.

D. Carus (gr. Κάρος).

Sopor profundus, ne fortiori quidem clamore discutiendus, cum privatione sensus et motus completa, potissimum ex ebrietate aut insolatione oriundus, hinc apoplexiæ sanguineæ levioris species. Carus *Galeno* idem morbus est, ac *Aphonia Hippocrati.* Vide *Apoplexia.*

E. Lethargus (gr. Λήθαργος, lat. Veternus. *gall.* Assoupissement).

Somnolentia constans, cum febre et delirio oblivioso, ac torpore ad motum; utplurimum symptoma asthenopyræ.

F. TYPHOMANIA (gr. Τυφομανία).

Sopor apparens cum agrypnia.

Habent autem cuncta hæc mala adjunctam sensuum hebetudinem et soporem.

Huc etiam pertinet:

Somnus diuturnus plurium dierum vel etiam mensium spatio, cujus exempla memorabilia varia vide in *actis acad. reg. Paris.* pro anno 1707 et 1713, et in *Transact. Philosoph. Lond.*

SPECIES et VARIETATES *Cataphoræ*, fere eædem sunt, ac apoplexiæ. Vide *Apoplexia.*

Cataphoræ symptomaticæ sunt:

α. Cataphora febrilis.
β. ——— exanthematica.
γ. ——— periodica.
δ. ——— verminosa.
ε. ——— ab hyperkinesia.
ζ. ——— ab apoplexia.
η. ——— ab epilepsia.
ϑ. ——— a metastasi.
ι. ——— ab uroplania.

G. CII. APOPLEXIA.

Gr. Ἀποπληξία, *Gal.* ab Ἀποπλήσσω, percutio.

Subita motuum voluntariorum omnium imminutio aut abolitio, cum sopore plus minusve profundo et respiratione sæpe stertorosa, superstite motu cordis et arteriarum; pulsus utplurimum plenus, fortis sed lentus (quo plenior et durior, eo majus periculum); accedente sæpe ischuria vesicali. Morbus anni tempore humido et frigido maxime frequens (*).

Syn. Sideratio.
Paralysis universalis.

(*) In multis casibus practico plurimum interest, sedem apoplexiæ novisse. Ad hoc determinandum juvat scire in quod latus æger cecidit, dum morbo correptus fuit. Observationes multiplices docuerunt, sedem morbi esse in latere opposito cerebri; si ergo in latus sinistrum ceciderit æger, sedes mali erit in latere cerebri dextro. Si os ægri ad unum latus retractum est, signum erit, sedem morbi esse in eodem latere, in quo musculi contracti sunt; nam hæc contractio ostendit, musculos in latere opposito esse paralyticos.

Morbus attonitus.
Aphonia, *Hipp.* (*).

A. Apoplexy.
G. Apoplexie.
Ge. Schlagfluss.

Sp. 1. Apoplexia *Repletionis.*

Præcipue sanguineis, repletis, torosis, collo brevi et crasso præditis, frequens.

Syn. Apoplexia sanguinea. *Auct.*

Variat pro causa remota:

α. A plethora.
β. Ab inflammatione.
γ. Ab evacuationibus sanguineis consuetis neglectis, retentis, vel suppressis.
δ. A febre (*periodica*).
ε. Ab insolatione, sideratione.
ζ. A fulmine.
η. Ab ebrietate; vel ab opio, aliisve narcoticis assumptis.
ϑ. Ab ira violenta.

(*) *Hippocrates*, *Aretæus* aliive veteres, sub nomine apoplexiæ non semper morbum universalem, sed subinde solam unius partis affectionem seu resolutionem denotant, id quod ad intelligendos eorum libros bene notandum est.

ι. A nimia accumulatione fluidi nervei in cerebro, ex atrophia nervorum?

κ. Ab apnœasphyxia.

λ. A compressione cerebri :

1. Ex fractura ossium cranii.
2. Ex exostosi.
3. Ex tumoribus variis in cerebro natis.
4. Ex hydatidibus sub cranio.
5. Ex sanguinis extravasatione.
6. Ex hydrope cerebri.
7. Ex pure in cerebro collecto, aut metastatice deposito.
8. Ex corporibus extraneis in encephalum penetrantibus.
9. Ex circumgyratione corporis, præcipue capite vi centrifugæ exposito.
10. Ex compressione vasorum colli.
11. Ex causis quibuscunque in collo, pulmonibus, corde, etc. reditum sanguinis ex encephalo retardantibus aut impedientibus.

Sp. 2. Apoplexia *Inanitionis*.

Apoplexia exhaustorum, debilium, phlegmaticorum.

Syn. Apoplexia pituitosa, *s.* serosa. } *Auct.*
———— nervosa. }

Variat pro causa remota:

α. A defectu nutritionis, seu inedia.
β. A labore aut exercitio nimio.
γ. Ab excessu veneris, aut anaphlasi.
δ. Ab evacutionibus quibusvis nimiis.
ε. A febribus aliisve morbis gravibus prægressis.
ζ. A defectu fluidi nervei, systema nervosum excitantis.
η. Ab atrophia seu marcescentia nervorum præcipue in senibus. *Sœmering.*
ϑ. A sphakelo.
ι. A scorbuto.
κ. Ab accumulatione aut stagnatione pituitæ in vasis aut cavitatibus cerebri.
λ. A narcoticis assumptis.
μ. A frigore violento.
ν. A tempore anni frigido et humido.
ξ. Ab epilepsia aut convulsionibus prægressis.
ο. A magna mentis intentione, studiis, etc.
π. Ab animi pathematibus violentis: terrore, metu, curis.
ρ. A dolore violento.
σ. A dysodontiasi.
τ. A sideratione, fulmine.

Vide etiam *Asthenia.*

Sp. 3. Apoplexia *Metastatica.*

Variat pro causa remota:

α. Ab hæmorrhagiis vel hæmorrhoeis consuetis suppressis.
β. Ab arthritide rheumatica vel podagrica aut erysipelate retrocedente.
γ. A podagra aberrante.
δ. Ab herpete, psora, aliisve morbis cutis retropulsis.
ε. Ab ulceribus aut fonticulis vel sudore topico etc. incaute siccatis.
ζ. A metastasi febrili.
η. A pyoplania.
ϑ. A galactoplania.
ι. Ab uroplania, ex ischuria renali.
κ. Ab aquis hydropicorum absorptis et ad cerebrum delatis.

Sp. 4. Apoplexia *Traumatica.*

Variat pro causa remota:

α. A vulnere, erosione, ruptura, etc. vasorum cerebri.
β. A concussione cerebri.

G. CII. PARALYSIS.

Gr. Παράλυσις, a Παρὰ, vitiose, et Λύσις, debilitas : Resolutio nervorum *Celsi.*

Musculorum in una vel pluribus corporis partibus inirritabilitas et immobilitas, seu facultatis sese a stimulo applicato contrahendi abolitio completa; quandoque cum sensibilitate partis integra, aut etiam cum dolore ; sæpius cum anæsthesia et atrophia partis affectæ juncta.

A. Palsy.
G. Paralysie.
Ge. Lähmung.

A. Paralysis universalis.

Paralysis musculorum extremitatum superiorum ac inferiorum ; sæpe simul etiam aliorum organorum aut viscerum corporis.

B. Paralysis partialis.

Huc pertinet.:

1. *Paraplegia* seu *Paraplexia* (A Gr. Παραπλήσσω percutio) *Hippocrati* audit paraly-

sis membri cujusdam corporis ex prægressa apoplexia aut epilepsia orta. Recentiores sub nomine paraplegiæ vulgo intelligunt, paralysin partium infra cervicem sitarum; vel etiam paralysin extremitatum inferiorum.

2. *Hemiplegia* seu *Hemiplexia* (A Gr. Ἥμισυ, medietas, et Πλήσσω, percutere) est paralysis unius lateris.

VARIAT pro sede morbi :

1. In enkephalo.
2. In spina dorsi, lumborum etc.
3. In extremitatibus superioribus vel inferioribus.

Sp. 1. Paralysis *Repletionis.*

VARIAT pro causa remota,

Fere ut Apoplexia.

α. A plethora.
β. A sanguinis evacuationibus consuetis neglectis aut suppressis.
γ. A fulmine, electricitate etc.
Vide *Apoplexia.*

Sp. 2. Paralysis *Exhaustionis*, s. *inanitionis.*

VARIAT pro causa remota:

α. A defectu nutritionis, fame.

β. Ab evacuationibus sanguineis aliisve excretionibus nimiis.

γ. A defectu sanguinis ex venæsectionibus, vulneribus prægressis.

δ. Ab asthenopyra, septorrhepyra, loimopyra, ochropyra (*Febrilis*).

ε. A dialeipyra, vel helopyra irregulari. (*Periodica*).

ζ. A scorbuto, peliosi, carkinomate.

η. A doloribus violentis, spasmis, convulsionibus, epilepsia, apoplexia, hyperkinesia, catalepsi, rhembasmo prægressis.

ϑ. Ab animi pathematibus violentis: terrore, metu etc.

ι. A nimia mentis intentione.

κ. A nimia venere, anaphlasi.

λ. A nimio corporis exercitio, laboribus.

μ. Ab ictu fulminis, seu electricitatis aëreæ vel subterraneæ.

ν. Ab atrophia nervorum (*Senilis*).

ξ. A spirituosorum, stimulantium, opiatorum abusu.

Sp. 3. Paralysis *Venenata*.

Variat pro causa remota:

α. A venenis mineralibus hydrargyri, plumbi, arsenici etc. ingestis aut externe applicatis.

β. A venenis vegetabilibus, narcoticis aliisve ingestis aut externe applicatis.

γ. A vaporibus venenatis, metallicis vel vegetabilibus (*).

Sp. 4. Paralysis *Metastatica.*

Variat pro causa remota:

α. Ab arthritide rheumatica vel podagrica, aut erysipelate retrocedente.

β. Ab podagra aberrante.

γ. A morbis cutis chronicis retropulsis.

δ. Ab uroplania.

ε. A galactoplania.

ζ. A blennorrhagia syphilitica, aliave retropulsa.

η. A metastasi febrili, exanthematica, purulenta etc.

ϑ. Ab ulcere, fonticulo, sudore topico præpostere siccatis.

ι. A dysenteria incaute suppressa.

κ. A refrigerio, præcipue a cursu aëris humidi et frigidi, sudanti corpori admisso.

Sp. 5. Paralysis *Traumatica.*

Variat pro causa remota:

α. A vulneribus, aliisve læsionibus capitis.

(*) Huc etiam pertinet paralysis equorum a Phellandrio aquatico, a *Linneo* notata.

β. A vulnere, discissione, apostemate, erosione, ulcere etc. spinæ dorsi aut nervorum, vel musculorum.
γ. A lapsu, concussione, contusione violenta.
δ. A carie, fractura, luxatione vertebrarum.
ε. A luxatione epistrophei cum atlante.

Sp. 6. Paralysis *Suppresionis.*

Paralysis ex impulsu aut transitu fluidi nervei per nervos aut musculos, vel sanguinis per vasa sanguinea impedito orta.

VARIAT pro causa remota:

α. A sanguine in capite vel spina dorsi extravasato.
β. Ab hydrokephalo, hydrorhachi.
γ. A luxatione vertebræ aut coccygis.
δ. A degeneratione substantiæ musculorum, aut nervorum, vel vasorum ad musculos euntium.
ε. Ab apostemate, vomica, empyemate pectoris (in eodem latere brachii).
ζ. A curvatura spinæ dorsi, aut compressione quacunque medullæ spinalis.
η. A conpressione aut discissione nervorum vel vasorum in eorum ad musculos decursu.

B. Paralysis topica.

Huc pertinent :

1. Paralysis nervi optici, unde amaurosis.
2. Paralysis nervi auditorii, unde cophosis.
3. Paralysis linguæ, præcipue sinistri lateris. (Quandoque ex inflammatione, ulcere aut infarctu aquoso pulmonum orta).
4. Paralysis pharyngis, unde dyscataposia.
5. Paralysis ventriculi, hepatis, intestinorum; præcipue ex venenis assumptis, aut ex materia podagrica aberrante orta.
6. Paralysis renum, vesicæ; unde ischuria renalis, vesicalis.
7. Paralysis sphincteris vesicæ vel recti, unde uracrasia, scoracrasia.
8. Paralysis testiculorum, unde eorum atrophia, dyspermasia, astysia etc.
9. Paralysis extremitatum superiorum vel inferiorum.
10. Paralysis musculi unius vel alterius particularis.

G. CIV. SYNCOPE.

Gr. Συγκοπὴ, a Σὺν, cum, et Κόπτω, labor, cædo : Præceps virium vitalium collapsus.

Motus cordis et arteriarum, ac respirationis imminutio, aut supensio : hinc pulsus

pulsus et respiratio debiles, vix perceptibiles, sæpe cum sensuum internorum et externorum, simulque motuum voluntariorum feriatione transitoria.

A. Fainting.

G. Defaillance; évanouissement; pamoison; des Évanouis, pamés.

Ge. Ohnmacht.

Gradus aut varietates syncopis sunt :

1. *Leipothymia* (Gr. Λειποθυμία, a λείπω, deficio et θυμὸς, animus : Animi deliquium) Subitanea ac brevis sensuum et virium defectus; supersitite pulsu et respiratione fere normali.
2. *Leipopsychia Hipp.* Apsychia *Gal.* (Λειποψυχία, a λείπω, deficio et ψυχὴ spiritus *s.* respiratio) Subitanea sensuum, motuum, ac respirationis abolitio.
3. *Asphyxia* (Gr. Ἀσφυξία, ab α neg. et σφύξις, pulsus) Defectus pulsus.

Sp. 1. Syncope *Cardiaca.*

Syncope a vitio aut affectione cordis.

Variat pro causa remota :

α. Ab anevrismate cordis vel aortæ.

β. A polypo aut calculo in corde.

γ. Ab ossificatione valvularum cordis, vel arteriarum coronariarum ejusdem.

δ. A vulnere aut erosione.

ε. A læsione, compressione, aut paralysi nervorum cardiacorum.

ζ. Ab hydrope pericardii.

η. A plethora.

ϑ. A tumore aortam comprimente.

ι. Ab angustatione, ossificatione aut obstructione vasorum thoracis.

κ. A spasmis.

λ. A balneo calido.

μ. A defectu sanguinis, vel stimuli consueti: ex hæmorrhagiis, hæmorrhoeis, venæsectione largiore, vulnere arteriæ aut venæ majoris, artevrismate rupto; ex subita aquarum evacuatione post parakentesin pectoris vel abdominis; ex sanguine subito post partum in viscera abdominalia irruente; ex evacuatione per alvum subita, profusa.

ν. A defectu seu exhaustione virium: ex debilitate corporis generali, ex fame, aut inanitione post morbos acutos vel chronicos, aut evacuationes profusas; ex nimio labore, partu difficili, aut doloribus violentis; ex nimia venere, aselgotripsia; ex calore aut frigore atmosphæræ intenso; ex scorbuto, sphakelo, carkinomate etc.

Sp. 2. Syncope *Pulmonalis.*

Variat:

α. A nervis pulmonum læsis, discissis, aut compressis.

β. A defectu oxygenii in aëre.

γ. A gaze acido carbonico, azoto, vel hydrogenio inspirato.

δ. Ab effluviis putridis, contagiosis, malignis, pestiferis.

ε. Ab apostemate pulmonum rupto.

Sp. 3. Syncope *Cerebralis* (*nervosa*).

Variat:

α. A mentis subita et violenta emotione, aut perturbatione: ex subito gaudio, terrore, metu, mœrore etc.

β. A dolore violento.

γ. Ab objectis ingratis visui oblatis; vel ab antipathia aut idiosyncrasia, imaginatione, visu ex fele, mure, aranea, caseo, ovis coctis etc.

δ. Ab odoribus ingratis.

ε. A sanguinis aspectu ex vulnere, venæsectione, operatione chirurgica etc.

ζ. A studiis, aut mentis intentione nimia.

η. A vigiliis nimiis.

ϑ. A convulsionibus, spasmis, epilepsia, ca-

talepsi, hyperkinesia, rhembasmo prægressis.

ι. A veneris excessu.

κ. A titillatione corporis nimia.

λ. A vertigine.

μ. A læsione aut concussione cerebri, medullæ spinalis, aut nervorum.

ν. A defectu electricitatis aëreæ.

ξ. A frigore aut calore intenso.

ο. A venenis narcoticis.

Sp. 4. Syncope *Gastrica* (s. *Stomachica*).

A vitio ventriculi, intestinorum, aut viscerum abdominalium.

VARIAT:

α. A nimia repletione ventriculi.

β. Ab inanitione, aut longa fame.

γ. Ab irritatione ventriculi ex emeticis, aut nauseosis deglutitis.

δ. Ab indigestibilibus : adipe, fungis etc. assumptis.

ε. A saburra ventriculi aut intestinorum acri, acida, biliosa, putrida.

ζ. A gastritide, aut gasteralgia varia.

η. A torpore, debilitate ventriculi.

ϑ. A dolore intenso ventriculi, intestinorum aut aliorum viscerum; vel ex calculo ve-

sicæ aut renum; aut etiam ex calculo felleo in ductu choledocho impacto.

ι. A læsione, percussione aut contusione ventriculi, hepatis etc.

κ. A venenis narcoticis assumptis.

λ. A vermibus aut animalculis in ventriculo vel intestinis nidulantibus.

μ. Ab emphraxi viscerum abdominalium.

ν. Ab apostemate hepatis, intestinorum, ovariarum etc. rupto.

ξ. Ab affectione uteri vel ovariorum varia.

Sp. 5. Syncope *Mephitica.*

Vide *Apnœasphyxia.*

Sp. 6. Syncope *Metastatica.*

Variat:

α. Ab exanthematibus, aut cutis vitiis chronicis retrocedentibus,

β. A metastasi varia.

γ. Ab arthritide rheumatica vel podagrica retrocedente; aut podagra aberrante.

Syncope symptomatica est:

1. Febrilis: ab asthenopyra, septorrhepyra, loimopyra etc. orta.
2. Periodica: a synechepyra aut dialeipyra irregulari orta.

G. CV. APNŒASPHYXIA.

A Gr. ab A neg. et Πνοὴ, respiratio, et Σφύξις, pulsus : Respirationis et pulsus defectus.

Feriatio pulsus ac respirationis, sensuumque internorum et externorum permanens, cum pallore cutis et frigore corporis, sine ullo signo vitæ. Vera mortis imago.

SYN. Mors apparens, vel subitanea.
Suffocati, submersi.
Apparenter mortui.

A. Apparent death.
G. Mort en apparence; des asphyxiés.
Ge. Scheintodt.

Sp 1. Apnœasphyxia *Submersorum*.

Sp. 2. Apnœasphyxia *Suspensorum*, *aut Strangulatorum*.

Sp. 3. Asphyxia *Suffocatorum*.

VARIAT :

α. A lingua deglutita.
β. A corporibus in asperam arteriam illapsis.

γ. A corporibus vicinis asperam arteriam comprimentibus.

δ. A vomica rupta.

ε. A sanguine, pure, aut parte albuminosa sanguinis in bronchia, vel asperam arteriam effusis.

ζ. A pituita tenaci.

η. A laryngis, aut bronchiorum inflammatione.

θ. A faucium inflammatione, tumore.

ι. A compressione trunci corporis violenta.

Sp. 4 Apnœasphyxia *Sideratorum.*

Nota. A fulminis ictu necati, sæpiùs apnœasphyxia, quam apoplexia pereunt.

Sp. 5. Apnœasphyxia *Congelatorum.*

Sp. 6. Apnœasphyxia *Exhaustorum.*

Ex anevrismate rupto, hæmorrhagiis violentis, fame etc. orta.

Sp. 7. Apnœasphyxia *Mephitica.*

A. *A gaze acido carbonico.*

Variat :

α. A carbonibus ardentibus in cubili arcte clauso.

β. Ab effluviis in cellis ex vino, cerevisia etc. fermentantibus.
γ. Ab effluviis ex terra in cavernis, puteis, fodinis, ut in *grotta del cane* etc.

B. *A gaze hydrogenio*, aut hydrogenio sulfurato.

C. *A gaze nitrogenio* ss. *azoto*, aut eodem sulfurato.

Variant:

α. Ex fodinis minerarum, præcipue lithanthracum.
β. Ex puteis aqua stagnante repletis.
γ. Ex thermis variis mineralibus.

D. *A defectu gazis oxygenii* in aëre inspirato.

Sp. 8. Apnœasphyxia *ab effluviis noxiis.*

Variat:

α. Ab exhalationibus aut vaporibus arsenicalibus, mercurialibus etc.
β. A vapore sulphuris accensi.
γ. Ab exhalatione noxia quarundam arborum aliorumve vegetabilium.
δ. Ab exhalationibus noxiis, putridis, contagiosis nosocomiorum, navium, carcerum, cubilium etc.

ε. Ab exhalationibus putridis cadaverum aut tumulorum.

ζ. Ab exhalationibus ex latrinis, aut foricis domuum.

η. A vaporibus, aut exhalationibus acribus, putridis etc. ægrorum, scorbuto, carie, carkinomate, sphakelo etc. laborantium.

θ. A transpiratione aut sudore fœtido quorundam animalium, aut hominum, maxime capillis rubris præditorum, dysodia pedum, axillarum etc. laborantium.

Sp. 9. Apnœasphyxia *Venenata.*

Variat :

α. A digitali purpurea, a pruno lauroceraso, taxo baccato, opio etc., assumptis.

β. A morsu quorumdam serpentum.

Sp. 10. Apnœasphyxia *Nervosa.*

Variat :

α. Ab animi pathematibus; præcipue a subito terrore, metu, nuncio funesto; aut etiam gaudio subitò ex nuncio læto, inexpectato.

β. Ab hyperkinesia, catalepsi, epilepsia etc.

γ. A gasteralgia, vel enteralgia spasmodica, flatulenta etc.

Sp. 11. Apnœasphyxia *Traumatica.*

Variat:

α. Ab ictu, lapsu, vulnere, concussione gravi capitis, epigastrii, vel abdominis.

β. A vulnere aut compressione nervorum cardiacorum, vel intercostalium.

γ. A læsione aut pressione medullæ spinalis, juxta primam vertebram.

CL. III. O. II. SPASMI.

A Gr. Σπασμοὶ, fibrarum muscularium contractiones abnormes.

Character. Fibrarum muscularium aut musculorum in quacunque corporis parte contractio involuntaria, permanens, rigida, vel cum relaxatione alternans.

Syn. Morbi Spasmodici. *Auct.*

Genera huc spectantia sunt:

SECT. I. SPASMI TONICI.

Musculorum contractiones involuntariæ, rigidæ, permanentes cum dolore.

Genus I. TETANUS.
II. SPASMUS *s.* CRAMPUS.

SECT. II. SPASMI CLONICI.

Musculorum contractiones involuntariæ, cum relaxatione subita alternantes.

III. CONVULSIO.
IV. ECLAMPSIA.
V. EPILEPSIA.
VI. BALLISMUS.
VII. PTARMUS.
VIII. LYGMUS.
IX. HYPEREMESIA.
X. MYRMEKIASIS.

CL. III. O. II. SPASMI.

SECT. I. SPASMI TONICI.

G. CVI. TETANUS.

Gr. Τέτανος.

Musculorum voluntariorum fere omnium, infra caput sitorum, immobilitas et rigiditas permanens, summe dolorifica. Morbus acutus frequenter lethalis.

Syn: Rigor seu distentio nervorum.

A. Tetanus.
G. Tetanos.
Ge. Staarkrampf.

Variat pro sede musculorum:

A. *Tetanos* proprie sic dictus, dum corpus immobile et in rectum porrectum est.

B. *Emprosthotonos*, dum cervix totumque corpus antrorsum curvatur.

Γ. *Opisthotonos*, dum cervix et dorsum retrorsum curvantur.

Δ. *Pleurosthotonos*, dum corpus in alterutrum latus incurvatum immobile jacet.

Sp. 1. Tetanus *Traumaticus*.

Tetanus a vulnere quocunque nervi, aponevrosis aut tendinis, præcipue in climate calido, ortus.

Variat pro causa remota:

α. A vulnere sclopetario seu vulnere cum contusione.
β. A vulnere scisso aut lacerato.
γ. A punctura.
δ. A fractura, præcipue complicata.
ε. A vellicatione, tensione, divulsione, aut compressione violenta; præcipue ex ligatura post amputationes, post excisionem testiculorum, aut post discissionem partium mollium; vel ex corporibus peregrinis in vulneribus infixis.

Sp. 2. Tetanus *Erethisticus*.

Variat pro causa remota:

α. A balneo frigido, præcipue æstuante corpore, adhibito.
β. A frigore, præcipue expositione corporis frigori humido nocturno.
γ. A pure acri nervum quemcunque in decursu suo irritante.
δ. A metastasi materiæ acris cujusvis.

ε. Ab insertione dentis artificialis.
ζ. Ab animi pathematibus.
η. A podagra aberrante.
ϑ. Ab ischomenia.
ι. A vermibus intestinorum.

Sp. 3. Tetanus *Venenatus.*

Variat:

α. A morsura quorundam serpentum.
β. A venenis quibusdam : datura-stramonio, hyosciamo albo etc.

G. CVII. SPASMUS *s.* CRAMPUS.

Gr. Σπασμὸς, Spasmus.

Musculi unius vel alterius contractio involunptaria, transitoria, summe dolorifica (*)

Syn. Crampus *Helmontii.*

A. Spasm ; cramp.
G. Spasme; cramp.
Ge. Krampf.

Variat, ut Tetanus et convulsio.

(*) Crampus sollicite distinguendus est a contractura locali chronica, indolente musculorum.

Sp 1. Spasmus *Faciei*.

Vide *Prosopalgia*.

Sp. 2. Spasmus *Oculorum vel Palpebrarum*.

Musculorum oculi vel palpebræ contractio spastica, dolorifica.

Syn. Cataclasis *Auct*. (a gr. Κατάκλασις, distorsio).

Sp 3. Spasmus *Labiorum*.

Syn. Spasmus cynicus *s*. caninus (*).
Risus sardonicus (**).
Spasmus sardonicus.
Trismus sardonicus. *Sauv*.
Sardiasis *Lin*.

(*) Musculorum labiorum et faciei contractio spastica, quandoque etiam convulsiva, ita ut ore deducto speciem canis siticulosi et os apertum exhibentis præseferat, plerumque symptoma est diaphragmatitidis, aut aliorum morborum acutorum. Quandoque os, contractis unius lateris musculis, æque versus illud latus violenter trahitur, sæpe apoplexiæ prodromus. —Hæc oris contractio distinguenda est a paralysi musculorum oris in uno latere, in qua prævalentibus musculis alterius lateris os eodem modo distorquetur.

(**) A Gr. Σαρδωνιη, (Ranunculus flammula *L.*) ex cujus esu produci observatus fuit hic morbus, qui persæpius ad convulsionem potius, quam ad spasmum pertinet.

Sp. 4.

Sp. 4. Spasmus *Maxillæ inferioris.*

Gnathospasmus (a gr. Γνάθος, maxilla).

Musculorum maxillæ inferioris contractio spastica, ut os aperiri nequeat; vel etiam maxillæ inferioris ultra superiorem protrusio spastica ita, ut dentes dentibus jam non respondeant.

SYN. Tetanus maxillæ *Lat.*
Trismus *Auct.*

A. Locked-jaw.
G. Tic.
Ge. Kinnbackenkrampf.

VARIAT pro causa remota, ut tetanus.

Sp. 5. Spasmus *Linguæ.*

Glossospasmus (a gr. Γλῶσσα, lingua).

Linguæ tumidissimæ, rigidæ extra os monstrosa protensio; plerumque aliorum morborum convulsivorum, vel enteralgiæ plumbeæ comes.

SYN. Tetanus linguæ. } *Auct.*
Glossochele. }

Sp. 6. Spasmus *Cordis.*

Cardiospasmus (a gr. Καρδία, cor).

Cordis contractio spastica, rigida. (*)

Sp. 7. Spasmus *Diaphragmatis.*

Conctractio spastica diaphragmatis summe dolorifica; præcipue ex nisu violento et subito brachiorum, invadens (**).

(*) Hujus spasmi exempla, durante praxi mea 20 annorum Londini, duo observavi in sexu sequiore, a gaudio subito ex nuncio inexpectato orta, cum animi deliquio et morte subita. In cadavere utriusque cor instar lapidis durum et contractum invenimus.

(**) Hunc morbum a nullo auctore hactenus memoratum aut descriptum novi, nisi *Pleurodynen a spasmate* a *van Swieten* memoratam huc referamus, de qua *Sauvages* V. 1. p. 684, dicit: « Spasma non est spasmus, sed distrac» tio, divulsio, qualis accidere solet a vehementi musculi » nisu, contractione, extensione, ut inter luctandum, » onera gestanda, currendum; illos autem vehementes » nisus sequuntur postridie dolores pectoris cum sen» sibilitate partis affectæ, ita ut tactum recuset, non secus » ac si pars contusa fuisset. » —Hæc symptomata in ægris meis non observavi. Quatuor hujus morbi exempla mihi in praxi sese obtulerunt, quorum duo evidenter a nisu violento brachiorum in pondere majori elevando; tertium a nisu violento retinendi equum, cui æger insidebat; quartum vero a rheumate os sacrum subito relinquente et ad diaphragma aberrante oriebatur. Hi ægri unanimiter accessum hujus morbi quasi ictui electrico violento per regionem diaphragmatis transeunti comparabant, quo percussi in terram concidebant cum summo dolore, simul ac virium suppressione totali. In uno

Sp .8. Spasmus *Colli.*

Musculorum colli unius lateris contractio et rigiditas spastica, dolorifica, qua caput in unam alteramve plagam torquetur, præcipue a refrigerio oriunda.

Sp. 9. Spasmus *Ductus choledochi* (*).

Contractio spastica, summe dolorifica in ductu choledocho aut in ejus orificio ad duodenum orta, ex calculo bilario in ejus cavo impacto, per intervalla longiora vel breviora recrudescens.

Sp. 10. Spasmus *Ureteris.*

Contractio spastica, summe dolorifica ductum ureteris sequens. Morbus prope regionem renis fixus, sæpe cum retractione testiculi, aut

casu æger, postquam per horam circiter humi prostratus jacuerat, absque quod vel unicum corporis membrum movere posset, post hoc tempus elapsum sanus surrexit; in reliquis per diem unum alterumve morbus duravit, ita ut ægri in lecto supini jacentes vel ex levissimo situm corporis mutandi nisu, novo ejusdem spasmi accessu minitarentur, post duos aut tres dies perfecte reconvalescentes.

(*) Hæc species æque ac subsequens sæpe ab ignaris cum colica confunduntur, cum qua nihil communis habent.

cum dolore femoris ejusdem lateris junctus, ex calculo urinario in cavo ureteris impacto ortus, ac per intervalla recrudescens.

Sp. 11. Spasmus *Vesicæ.*

Contractio vesicæ, aut colli ejusdem spastica, summe dolorifica, cum continuo aut valde frequenti nisu urinam mittendi.

VARIAT pro causa remota :

α. A calculo urinario.

β. A lytta vesicatoria, aliisve acribus irritantibus ingestis.

γ. A podagra aberrante.

δ. A metastasi rheumatica etc.

ε. A blennorhagia syphilitica suppressa.

Sp. 12. Spasmus *Urethræ.*

Sp. 13. Spasmus *Colis.*

(A Gr. Πριαπισμὸς, a Πρίαπος, coles s. membrum virile) : Priapismus.

Colis seu penis rigiditas spastica, continua, molesta, sine stimulo venereo aut coitus desiderio (*).

(*) *Juxta Galenum :* Permanens colis tumor extensiove in longitudinem et circulum, sine ullo stimulo aut desiderio ad libidinem, aut sine acquisito calore, ut quibusdam consuevit accidere, qui supini decumbunt.

SYN. Tentigo. Priapismus. Mentulagra. } *Auct.*

A. Priapism.
G. Priapisme.
Ge. Priapismus.

VARIANT pro causa remota:

α. Ab inflammatione urethræ.
β. A flatulentia.
γ. A lytta vesicatoria aliisve acribus ingestis aut externe applicatis.
δ. A quibusdam venenis assumptis.
ε. Ab hydrophobia.
ζ. A præparatis plumbi canalem intestinalem, et penem sympathice, afficientibus. *Stoll.*
η. A strangulatione.

Sp. 14. Spasmus recti.

Contractio ani spastica cum constanti tenesmo, ex acri aut stimulo quocunque irritante.

Sp. 15. Spasmus *Pharyngis.*
Vide *Dyscataposia spasmodica.*

Sp. 16. Spasmus *Ventriculi.*

Contractio ventriculi spastica, summe dolorifica, sæpe cum sensu frigoris instar glaciei.
Vide *Gasteralgia.*

A. Cramp in the stomach.
G. Cramp dans l'estomac.
Ge. Magenkrampf.

Variat pro causa remota:

α. Ab arthritide podagrica vel rheumatica, erysipelate, herpete etc. retrocedentibus.
β. Ab acri irritante ingesto, vel in ventriculum effuso.
γ. A venenis assumptis.
δ. A vermibus in ventriculo nidulantibus.

Sp. 17 Spasmus *Intestinorum.*
Vide *Enteralgia.*

Sp. 18. Spasmus *Annuli abdominalis.*
Vide *Hernia inguinalis incarcerata.*

Sp. 19. Spasmus *Umbilici.*
Vide *Hernia umbilicalis incarcerata.*

Sp. 20. Spasmus *Ovariorum vel uteri.*
Vide *Hyperkinesia hysterica.*

Sp. 21. Spasmus *Pedum aut manuum.*

Crampus pedum vel manuum Gr. Σπασμὸς φυσώδης.

Contractio spastica musculorum gastrocnemiorum, vel musculorum plantæ pedis, rarius palmæ manuum, dolorifica, transitoria.

VARIAT pro causa remota:

α. Ab extensione violenta.
β. A vitiis intestinorum.
γ. A podagra.
δ. Ab hyperkinesia.
ε. A consuetudine.

SECT. II. SPASMI CLONICI.

G. CVIII. CONVULSIO.

Gr. Σπασμὸς κλονικὸς, a κλονέω, commoveo.

Musculorum, præcipue voluntariorum contractio et relaxatio subito alternans, involuntaria, sæpe functionibus sensuum externorum ac sensorii communis integris.

A. Convulsion.
G. Convulsion.
Ge. Zuckung.

VARIETATES convulsionis sunt:

1. *Tremor* convulsivus (Gr. Τρόμος). Vide infra *Tromus*.
2. *Trismus* (Gr. Τρισμὸς) stridor dentium ex convulsione musculorum maxillæ infe-

rioris; vulgo sæpe, sed male, cum *Gnathospasmo* seu tetano maxillæ confunditur.

3. *Subsultus tendinum* est levior convulsionis gradus, utplurimum morbus febrium quarundam symptomaticus.
4. *Gelasmus* seu risus sardonius (a gr. Γελασμὸς, risus) vide supra *Spasmus* labiorum.

Sp. 1. Convulsio ab *Exhaustione* aut *inanitione. Hipp.*

VARIAT pro causa remota:

α. Ab evacuatione sanguinis nimia ex vulnere, abortu, puerperio, venæsectione, etc.
β. Ab evacuationibus nimiis per vomitum, alvum, etc.
γ. Ab nimia seminis profusione.
δ. Ab evacuatione subita aquarum post parakentesin.
ε. A nimia mentis vel corporis intentione.
ζ. A vigiliis nimiis.
η. Ab inedia, fame.
ϑ. A febribus asthenicis.
ι. A scorbuto.
κ. A respiratione aëris mephitici aliove modo corrupti, præcipue plurium hominum in eodem cubili arcte clauso degentium vel dormientium.

Sp. 2. Convulsio a *Repletione. Hipp.*

Variat pro causa remota:

α. A plethora.
β. A suppressione evacuationum sanguinis consuetarum, lochiorum, mentruorum, hæmorrhoidum etc. aut ex neglectu venæsectionis vel applicationis hirudinum consuetæ.
γ. Ab liquorum spirituosorum abusu.
δ. A sthenopyra, vel a variola erumpente.
ε. Ab extravasatione aut congestione sanguinis, seri, aquæ, puris, aëris cerebrum comprimentium.
ζ. Ab hydrokephalo.
η. Ab hydragyri particulis sub cranio extravasatis.

Sp. 3. Convulsio *Sympathica.*

Variat pro causa remota:

α. Ab irritatione musculorum vel nervorum violenta quacunque.
β. A dolore vehementi:
  1. Ex dysodontiasi, odontalgia etc.
  2. Ex calculo bilario in ductu choledocho impacto.
  3. Ex calculo urinario in rene, uretere, vel urethra impacto.

4. Ex Stranguria.
5. Ex carie vel exostosi ossium cranii.

γ. Ab animi pathematibus, præcipue ira, terrore, gaudio subito, metu, amore celato aut suppresso.

δ. Ab imaginatione viva ex aspectu ægrorum convulsione aut epilepsia correptorum.

ε. A titillatione, imo et a metu titillationis.

ζ. Ab excessu veneris, spermacrasia, anaphlasi, aselgotripsia.

η. A castitate severa.

ϑ. Ab irritabilitate morbosa genitalium, præcipue hyperkinesia hysterica.

ι. A graviditate.

κ. A partu laborioso.

λ. A testiculo in inguine hærente.

μ. A ligatura funiculi spermatici.

ν. Ab hernia incarcerata.

ξ. A dislocatione ossiculi sesamoidei pollicis pedis.

ο. Ab ossiculis interarticularibus mobilibus, præcipue ad genu, malleolum.

π. A vitio musculorum antagonistarum.

ρ. A ventriculo aut intestinis male affectis:

1. Ab ingluvie.
2. Ab indigestibilibus assumptis.
3. Ab acido.

4. A pane aliisve nutrimentis pravæ qualitatis ingestis.
5. A vermibus.
6. A venenis aut drasticis assumptis.
7. Ab enemate acri.
8. A bile acri flava vel atra.
9. A cholerrhagia.
10. Ab enteralgia varia.
11. A constipatione rebelli.
12. Ab hernia incarcerata.
13. Ab emphraxi viscerum abdominalium.

Sp 5. Convulsio *Metastatica*.

Variat pro causa remota:

α. A metastasi febrili, exanthematica, phlegmasiaca.
β. A congestione, aut extravasatione sanguinis, seri, puris, aquæ etc. in cerebro.
γ. A morbis cutis variis : Achore, tinea, herpete, aut a sudore pedum vel axillarum suppressis.
δ. Ab ischomenia, præcipue ex terrore, frigore.
ε. Ab ischolochia.
ζ. Ab ischoblennia, præcipue uterina.
η. Ab ischuria, præcipue renali.
ϑ. A dysenteria incaute suppressa.
ι. Ab ulceribus, fonticulis, setaceis, vesicatoriis siccatis, aut intempestive clausis.

κ. A galactoplania.

λ. Ab uroplania, vel pyoplania.

μ. Ab arthritide rheumatica vel podagrica, aut erysipelate retrocedentibus.

ν. A podagrica aberrante.

ξ. A pure retento aut absorpto.

ο. A putrido absorpto.

π. A viru syphilitico ossa capitis afficiente.

Sp. 6. Convulsio *Venenata.*

VARIAT pro causa remota:

α. A morsu animalium rabidorum.

β. A morsu serpentum aut insectorum venenatorum.

γ. A vaporibus metallicis : præcipue arsenici, plumbi, hydrargyri.

δ. A præparatis plumbi, cupri, arsenici etc. ingestis.

ε. A præparatis variis eorundem metallorum externe ulceribus aut vulneribus applicatis.

ζ. A venenis vegetabilibus variis assumptis.

Sp. 7. Convulsio *Traumatica.*

VARIAT pro causa remota:

α. A vulnere, punctura, compressione, contusione, concussione, distorsione, tensione nervorum, tendinum aut musculorum; vel

ex ligatura funiculi spermatici, aliarumve partium læsione, post operationes chirurgicas.

β. A luxatione, fractura, carie vertebrarum, aut ossium aliorum.

γ A vulnere, concussione, contusione, lapsu in cervicem, dorsum, lumbos.

δ. A mala spinæ dorsi conformatione.

G. CIX. ECLAMPSIA.

Gr. Ἐκλάκτισμα, Ἔκλαμψις, Ἐκλαμψία. *Hipp.*

Motus convulsivi oculorum, musculorum abdominis et extremitatum; quandoque cum manifestatione doloris, aut cum cataphora. Morbus, præprimis infantum, acutus, sæpe lethalis.

Syn. Insultus epileptici infantum.
Epilepsia infantilis.
Apoplexia infantum.

Variat pro causa remota:

α. Ab intropressione cranii durante partu.

β. A refrigerio neonatorum.

γ. A meconio retento.

δ. A saburra aut acido primarum viarum.

ε. A lactis degeneratione, aut corruptione in ventriculo.

ζ. A lacte nutricis depravato : ex ira, terrore, ebrietate, coitu, syphilitide, psora etc.

η. Ab inanitione infantis aut nutricis, ex defectu lactis aut nutrimenti necessarii.

θ. Ab aphthis.

ι. A dysodontiasi.

κ. A vermibus intestinorum.

λ. Ab exanthematum eruptione impedita.

μ. A dolore quocunque violento : pleuritide, enteralgia, vermibus, calculo vesicæ.

ν. Ab abusu opii, ad vagitus infantis sopiendos, præpostere exhibiti.

ξ. A venenis aut acribus ingestis.

ο. Ab hydrokephalo.

π. Ab inflammatione aut suppuratione interna cerebri.

ρ. A febre incipiente.

σ. A nimiis evacuationibus per vomitum aut diarrhœam.

τ. Ab alvi constipatione.

G. CX. EPILEPSIA.

A Gr. Ἐπιληψία, *seu* Ἐπίληψις, ab ἐπιλαμβάνω, desuper prehendere.

Musculorum voluntariorum convulsio universalis cum anæsthesia, seu sensuum internorum et externorum feria-

tione completa, per intervalla rediens; plerumque cum pollicum manuum retractione et spuma oris; frequenter cum stridore dentium, respiratione suffocativa, et seminis, urinæ, alvique excretione involuntaria; quandoque accedens cum sensatione ingrata quasi auræ, fumi, formicationis ab extremitatibus, aut aliis corporis partibus ad caput ascendentibus.

SYN. Morbus comitialis *Plinii*.
——— divinus } *Platon.*
——— sacer. }
——— Herculeus. *Aristot.*
Malum caducum. } *Auct.*
Morbus caducus. }

A. Epilepsy.
G. Epilepsie; mal caduc; haut-mal.
Ge. Fallsucht.

A. Epilepsia idiopathica.

Sp. 1. Epilepsia *Repletionis*.

VARIAT ut convulsio.

Sp. 2. Epilepsia *Inanitionis*.

VARIAT ut convulsio.

Sp. 3. Epilepsia a vitio cerebri organico.

Variat pro causa remota:

α. A peculiari cerebri incitabilitate.

β. A mala capitis conformatione; hinc Epilepsia hæreditaria, connata.

γ. Ab ossium cranii intropressione, fractura, festucis, exostosi, carie.

δ. Ab inflammatione, erosione, compressione, induratione meningum cerebri.

Sp. 4. Epilepsia *Metastatica*.

Variat ut convulsio.

B. Epilepsia sympathica.

Variat ut convulsio.

G. CXI. BALLISMUS.

Gr. Βαλλισμὸς, Tripudatio spastica.

Motus musculorum extremitatum superiorum vel inferiorum convulsivi abnormes, voluntati male obedientes. Morbus in zona temperata maxime impuberes invadens; in zona torrida etiam adultis infestus, sæpe endemicus, tumque præcipue extremitates inferiores afficiens.

Syn.

Syn. Scelotyrbe. *S.*
Hieranosis. *Macb.*
Choreomania.
Chorea S^{ti} Viti. } *Auct.*

Sp. 1. Ballismus *Chorea* (a gr. Χορεία, saltatio).

Motus musculorum, præcipue extremitatum superiorum, vel inferiorum convulsivi, partim voluntarii, partim involuntarii, magis plerumque unius lateris. Morbus impuberibus à 10mo ad 14um ætatis annum infestus, vix unquam post tempus pubertatis continuans.

Nota. In hoc morbo varia membra, mox hæc mox illa sæpe mire convelluntur. Ægri modo claudicant, modo pedem alterum post se trahunt potius, quam attollunt; brachia in gyrum, vel extensa sursum, deorsum, retrorsum movent; sed hoc vel illud membrum in eodem situ per temporis momentum continere vix possunt, et præcipue dum motum quemdam peculiarem facere, v. g. manum ori admovere conantur, diversis gesticulationibus illam non ori, sed supra, aut infra os applicant: Mens ægrorum præterea valde mobilis, modo paracope, modo quodam fatuitatis gradu affecta.

Species aut varietates sunt :

α. *Pathematica*, præcipue a terrore.
β. *Gastrica*, præcipue a vermibus.
γ. *Metastatica*, ab achore, tinea, aliisve cutis vitiis suppressis.
δ. Ab evolutione corporis naturali, maxime ab incremento subito.

Sp. 2. Ballismus *Beriberii*.

Morbus prope *Bombay* et ad littora maris Malabariæ endemicus, ibique *Beriberii* appellatus, quod ægri, instar ovium vertigine affectarum, incedunt. Morbus stupore, tremore cum sensu titillationis, ac torpore extremitatum inferiorum stipatus, maxime tempore pluviarum occurrens; frequenter ex largo haustu potus *Toddi* dicti (liquoris ex nuce cocos parati), corpore calefacto, deglutito, subito sæpe invadens.

G. CXII. PTARMUS.

A Gr. Πταρμὸς, sternutatio.

Violenta, sonora et subita aëris ex pulmonibus per nares et per os excussio, frequens, et abnormis. Morbus vires summe et quandoque ad mortem usque exhauriens, potissimum ab irritatione

graviore membranæ pituitosæ narium ortus.

A. Sneezing.
G. Eternuement.
Ge. Das Niessen.

A. Ptarmus idiopathicus.

VARIAT *pro causa remota:*

α. Catarrhalis.
β. Rubeolosus.
γ. Epidemicus.
δ. Criticus.
ε. A ptarmicis acribus in nares attractis.
ζ. A vermibus aut corporibus extraneis in sinubus frontalibus.
η. Ab humore acri cavum narium irritante.

B. Ptarmus sympathicus.

VARIAT:

α. Ab oculorum irritatione fortiore per radios solares.
β. Ab affectione dentium.
γ. A vitio gastrico.
δ. Ab affectione diaphragmatis.

G. CXIII. LYGMUS.

Gr. Λυγμὸς, singultus.

Motus convulsivus œsophagum, ventriculum, et diaphragma subito sursum, et momento post deorsum trahens, cum violenta et sonora aëris per laryngem expulsione, frequens, abnormis, vires corporis summe exhauriens.

A. Hickup, or hiccough.
G. Le hoquet.
Ge. Der Schlucksen; Schlucken.
Ital. Singhiozzo.

Variat sede:

1. Ab affectione faucium vel œsophagi.
2. ———————— ventriculi.
3. ———————— diaphragmatis.
4. ———————— hepatis.

A. Lygmus Idiopathicus.

Sp. 1. Lygmus *Repletionis.*

Variat pro causa remota:

α. A nimia ingurgitatione liquidorum.
β. Ab ingestione celeri et copiosa ciborum, præcipue difficilis digestionis.

γ. A saburra gastrica.

δ. Ab inflammatione ventriculi, œsophagi, diaphragmatis, hepatis etc.

ε. A flatibus.

ζ. A congestione sanguinis in abdomine.

η. A suppressione hæmorrhoidum vel menstruorum.

ϑ. Ab emphraxi vasorum aut viscerum abdominalium.

Sp. 2. Lygmus *Inanitionis.*

VARIAT pro causa remota:

α. Ab evacuationibus quibuscunque sanguinis copiosioribus.

β. A nimiis per alvum excretionibus variis.

γ. Ab hyperemesia.

δ. Ab exhaustione virium.

ε. A defectu nutritionis, aut vitiis lactis (infantum).

ζ. A gangræna viscerum abdominalium.

Sp. 3. Lygmus *Irritationis.*

VARIAT pro causa remota:

α. Ab ingestis acribus, aut difficulter digerendis, vel in ventriculo degenerantibus.

β. A pharmacis aut venenis acribus, causticis, corrosivis assumptis.

γ. A miasmatibus variis deglutitis.

δ. A bile flava vel atra, aut a saburra acida, putrida, vel ab acri quocunque ventriculum aut partes vicinas lacessente.

ε. Ab inflammatione, skirrho, carkinomate, ulcere, excoriatione œsophagi, ventriculi, aut partium circumjacentium.

ζ. A resorpto humore putrido, sphakeloso, carkinomatoso.

η. A vulnere aut læsione œsophagi, ventriculi, hepatis, diaphragmatis etc.

θ. Ab intropressione cartilaginis xyphoidei, vel ab ossificatione aut luxatione ejusdem, pylorum irritante.

ι. A luxatione, distorsione, aut fractura vertebrarum, vel costarum spuriarum.

κ. A skirrho aut tumore hepatis, pancreatis, omenti, ventriculum lacessente.

λ. Ab haustu frigido; aut a gelidis, præcipue æstuante corpore, deglutitis.

μ. A refrigerio corporis subito.

ν. A crisi febrium (criticus).

ξ. Ab acri exanthematico præcordia lacessente.

ο. Ab arthritide rheumatica vel podagrica, au erysipelate retrocedente.

π. A podagra aberrante.

ρ. A morbis cutis retrocedentibus.

σ. A compressione ventriculi ex tumoribus vicinis.

τ. Ab aphthis, aut excoriatione œsophagi vel ventriculi, aut a crustis aphtharum.

υ. A diarrhœa vel dysenteria præpostere suppressa.

φ. A synechepyra aut dialeipyra irregulari (periodicus).

χ. A septorrhepyra, loimopyra, ochropyra, cholepyra, aliisve febribus (febrilis).

ψ. A vermibus in ventriculo nidulantibus.

B. Lygmus sympathicus.

VARIAT pro causa remota:

α. A volvulo, enteralgia, vel vermibus intestinorum.

β. Ab inflammatione aut læsione quacunque hepatis, intestinorum, cerebri; aut fractura cranii etc.

γ. Ab hernia incarcerata.

δ. Ab ischuria renali.

ε. Ab hyperkinesia, rhembasmo, epilepsia.

ζ. A calculo in renibus, vel ureteribus hærente.

η. A calculo in ductu choledocho impacto.

G. CXIV. HYPEREMESIA.

A Gr. Ὑπὲρ, nimium, et Ἔμεσις, s. Ἐμεσία, *vomitus.*

Contractio ventriculi, diaphragmatis ac musculorum abdominalium spastica, convulsiva, cum motu peristaltico inverso, et rejectione contentorum per superiora.

A. Vomiting, pucking.
G. Le Vomissement.
Ge. Erbrechen.

I. Hyperemesia idiopathica.

A causa in ventriculo hærente.

Variat pro causa remota:

α. Ab alimentis aut potulentis quantitate, vel qualitate peccantibus, a crapula, ingluvie etc.

β. A saburra, seu ab acri acido, rancido, putrescente, putrido, bile flava vel nigra, pituita, ventriculum aut intestinum duodenum lacessente.

γ. Ab acri contagioso, aut miasmate febrili vel exanthematico vario in aëre contento, et cum saliva deglutito.

δ. A medicamentis acribus, drasticis assumptis.

ε. A venenis variis, corrosivis, acribus; præcipue arsenico, cupro, muriate hydrargyri oxygenato etc., nec non a venenis narcoticis deglutitis.

ζ. Ab inflammatione, suppuratione, vulnere, ulcere, carkinomate, skirrho, aut induratione callosa, cartilaginea pylori vel ventriculi.

η. A potu aquæ frigidæ, vel ingestione gelidorum, corpore æstuante.

θ. A vermibus aliisve animalculis in ventriculo nidulantibus.

II. Hyperemesia symptomatica.

Variat pro causa remota:

α. Metastatica:

1. Ab erysipelate, aut arthritide rheumatica vel podagrica retrocedentibus.
2. Ab herpete, psora, aliisve cutis vitiis, chronicis vel acutis, retropulsis.
3. A materia febrili quacunque ventriculum irritante.
4. Ab uroplania.
5. A galactoplania.

β. A crisi febrili (critica).

γ. Ab hæmorrhoidum, menstruorum, lochiorum, aut urinæ suppressione.

δ. A tumore, induratione, ulcere, inflammatione, skirrho, aliisve vitiis variis pancreatis, hepatis, lienis, intestinorum etc.

ε. A sanguine nigro, acri, ex vasis brevibus in ventriculum regurgitante.

III. Hyperemesia sympathica.

VARIAT pro causa remota:

α. Ab hyperkinesia.

β. Ab imaginatione viva objecti ingrati, nauseosi.

γ. Ab odore ingrato.

δ. A terrore subito, ira, mœrore.

ε. Ab utero vel ovariis vario modo affectis:

1. Ex læsione, inflammatione, skirrho, ulcere, carkinomate, aut irritatione violenta quacunque.
2. A suppressione lochiorum, menstruorum, hæmorrhoidum, urinæ.
3. A graviditate.

ζ. Ab affectione intestinorum:

1. Ex bile atra vel flava.
2. Ex flatibus.
3. Ex spasmo.
4. Ex dolore violento.
5. Ex volvulo.

6. Ex inflammatione, callo, skirrho, ulcere.
7. Ex stenosi intestini per fæces induratas, corpora extranea, calculum etc.
8. Ex vermibus.
9. Ex hernia incarcerata (*).

η. Ab inflammatione, skirrho, ulcere, suppuratione, spasmo, induratione hepatis, lienis, diaphragmatis, pancreatis, mesenterii, omenti, etc.

ϑ. Ab irritatione violenta ex calculo biliario in ductu choledocho vel kystico impacto.

ι. A calculo urico renes vel ureteres irritante.

κ. A morbis capitis: kephalalgia, inflammatione, concussione, contusione, compressione, vulnere, vel fractura, fissura ossium cranii.

λ. Ab agitatione corporis: curru, rheda, mari; aut ex gyratione ejusdem varia.

G. CXV. MYRMEKIASIS.

A Gr. Μυρμηκίασις, formicatio: Symptoma hujus morbi primarium (**).

Plerumque prægressa vertigine, nausea, vomitu, gasteralgia, anxietate, et

---

(*) In omni vomitu ad herniam incarceratam semper et sollicite practico respiciendum est.

(**) Morbus hic antiquis forsan incognitus, (etsi febrem pestilentialem epidemicam ex frumento corrupto tempore famis ortam, jam a *Galeno* notatam reperio), primo

asthenia corporis generali, sensatio formicationis molestissima et tremor in extremitatibus, accedentibus spasmis aut motibus convulsivis summe dolorificis in iisdem aliisve corporis partibus, periodice recurrentibus, sæpe cum tetano, sphakelo digitorum, aut etiam necrosi ossium. Morbus frequenter epidemicus, quandoque acutus quandoque chronicus.

---

distincte 1588 a *Schwenkfeld* in Silesia notatus, paulo post 1596 in Hessia et Westphalia et dein variis temporibus in variis aliis locis epidemicus observatus fuit. Confer præcipue *Taube*, *Tissot*, *Wichman* etc. Videtur autem maxime regnare tempore, quo magna annonæ caritas est, et hinc plebs pane, nutrimento ejus communi et generali, pravæ qualitatis vesci cogitur. Hæc panis qualitas noxia ex coruptione cerealium, ustilagine, melligine, secale cornuto etc. aut admixtione seminum noxiorum Raphani raphanistri, Bromi multiflori, Bromi vitiosi, Lolii temulenti, Agrostematis githaginis oritur. Semen secalis cerealis in regionibus septentrionalibus præprimis pro pane conficiendo usitatur; panis inde confectus salubris est, nisi semen secalis cerealis adhibiti cum secali cornuto, aut clavo secalino (*A.* spurred Rye or horned Rye. *Gall.* Ergot) mixtum fuerit. Secale autem sic corruptum panem dat, quem plures auctores ut causam hujus morbi periculosi, sæpe inflammatione ac gangræna intestinorum, nec non sphakelo extremitatum stipati,

Syn. Necrosis ustilaginea. *S.*
Raphania. *L.* et *Cull.*
Convulsio Soloniensis. *Salerne.*
Convulsio cerealis. *Baldinger.*
Convulsio Raphania. *S.*
Morbus convulsivus malignus et epidemicus. *Auct.*
Eclampsia Typhodes. *S.*
Convulsio dolorifica. *Darwin.*

Ge. Kriebelkrankheit, Krampfsucht.

---

accusant; alii vero eundem a vermibus aut insectis derivant. Germani eum a primario symptomate, id est, formicatione summe molesta, *Kriebelkrankheit* appellant, quod nomen, sub vocabulo græco *Myrmekiasis*, hic adoptavi. Linnæus huic morbo nomen *Raphaniæ* dedit, quia eum a semine Raphani raphanistri, cum semine secalis cerealis mixto, oriri credidit. — Alii auctores secale cornutum hunc morbum producere negant; sed secale cornutum pro majori vel minore quantitate secalis cerealis mixtum nutrimentum plus minusve noxium constituit, præprimis si panis inde confectus pro solo aut præcipuo nutrimento servit ac usus ejusdem diu continuatur; etsi cum pauca quantitate secalis cornuti etc. mixtus vix pravos effectus producat.

CL. III. O. III. ALGEMATA.

Graecis. ἈΛΓΉΜΑΤΑ, seu Ὀδύναι, dolores.

Character. Morbi, quorum præcipuum symptoma est sensatio in parte quacunque corporis, ingrata et molesta, notabilis et permanens, ab extensione, pressione, distractione, erosione, laceratione aut læsione quacunque nervorum, orta.

A. Pains.
G. Douleurs.
Ge. Schmerzen.
Hisp. Latimas.

Genera ad hunc ordinem spectantia sunt :

Genus I. DYSPHORIA.
II. ALYSMUS.
III. CNESMUS.
IV. KEPHALALGIA.
V. PROSOPALGIA.
VI. OPHTHALMODYNIA.
VII. OTALGIA.

VIII. ODONTALGIA.
IX. DYSODONTIASIS.
X. GASTERALGIA.
XI. ENTERALGIA.
XII. HEPATALGIA.
XIII. SPLENALGIA.
XIV. NEPHRALGIA.
XV. KYSTALGIA.
XVI. HYSTERALGIA.
XVII. PROCTALGIA.
XVIII. ÆDOIODYNIA.
XIX. MASTODYNIA.
XX. PLEURODYNIA.
XXI. NOTALGIA.
XXII. OSPHYALGIA.
XXIII. ISCHIALGIA.
XXIV. MYODYNIA.
XXV. ARTHRODYNIA.
XXVI. OSTEODYNIA.

Huc etiam quodammodo pertinent:

Tenesmus.
Dysuria.
Dysenteria.
Dystokia.

OBSERVATIONES GENERALES.

Dolores variant ratione modi, gradus, durationis, causæ etc., unde:

Dolor fixus. — vagus *s.* erraticus.
Gravans — stringens.
Distendens — contundens.
Pungens *s.* punctorius — lancinans.
Scindens — terebrans.
Urens — rodens — mordax.
Tensivus — pulsans *s.* pulsatorius.
Acutus — obtusus.
Magnus — parvus.
Vehemens — mitis.
Æqualis — inæqualis.
Permanens — remittens, intermittens.
Continuus — exacerbans — periodicus.
Calidus — frigidus.
Profundus — superficialis.
Inflammatorius — spasmodicus *s.* nervosus.
Rheumaticus — podagricus.
Syphiliticus — scorbuticus.

Dolor proprie morbus non est, sed symptoma morbi.

In

In omni dolore ac in omni morbo, ubi cnesmus, vel dolor primarium symptoma constituit, medico practico sedulo notandum est, quod sedes morbi non semper in loco pruriente aut dolente, sed sæpe in parte alia, quandoque longe dissita, hæreat: sic kephalalgia sæpe a dente carioso, vel a sordibus ventriculi, aut a vasis hæmorrhoidalibus turgentibus originem suam ducit; cnesmus narium sæpe a vermibus intestinorum; dolor in glande penis sævissimus a calculo collum vesicæ irritante, aut vice versa, summus ad collum vesicæ dolor et dysuria sæpe ex inflammatione aut irritatione urethræ sub fræno oriuntur.

CL. III. O. III. ALGEMATA.

G. CXVI. DYSPHORIA.

A Gr. Δὺς, male, difficulter, et Φέρω, ferre.

Sensatio molesta in universo corpore vel in parte peculiari, cum sensu lassitudinis, stuporis, anxietatis, æstus aut caloris vel frigoris, inanitionis vel plenitudinis; utplurimum cum sensibilitate ad calorem vel frigus abnormi juncta.

A. Feeling unwell.
G. Malaise.
Ge. Unbehaglichkeit; übelbefinden; weheseyn; krankheitsgefühl; kränkeln.

Sp. 1. Dysphoria *Febrilis*.

VARIAT pro causa remota:

α. A contagio febrili deglutito, vel absorpto.
β. A miasmate exanthematico deglutito, absorpto, aut alio quovis modo corpori communicato.
γ. A contagio catarrhali membranæ mucosæ narium, faucium, pulmonum applicato.

δ. A phlegmasiis.
ε. Ab eccrisi varia.

Sp. 2. Dysphoria *Gastrica.*

Variat pro causa remota:

α. Ab ingestis crudis, indigestibilibus assumptis.
β. Ab ingluvie, seu nimia repletione ventriculi.
γ. A saburra biliosa, acida, putrida, pituitosa primarum viarum.
δ. A fame.
ε. A venenis deglutitis.
ζ. A gasteralgia, enteralgia etc.
η. A vermibus.
θ. A flatibus.
ι. Ab emphraxi vasorum vel viscerum abdominalium.
κ. A morbis aut vitiis vasorum aut vicerum variis.

Sp. 3. Dysphoria *Nervosa.*

Variat pro causa remota:

α. A spasmis.
β. A doloribus.
γ. Ab hyperkinesia.

G. CXVII. ALYSMUS.

Gr. Ἀλυσμὸς, ab ἀλύω, inquietum esse, angi.

Anxietas abnormis.

A. Anxiety; Uneasiness.

G. Anxiété; Inquiétude; Angoisse.

Ge. Angst; Bangigkeit.

VARIETATES aut SPECIES sunt:

I. Alysmus febrilis.

VARIAT:

α. A materia febrili, exanthematica deglutita, vel absorpta.

β. Ab exanthematum eruptione impedita aut suppressa.

γ. Ab asthenopyra, septorrhepyra, ochropyra, loimopyra, helopyra, cholepyra etc.

δ. A phlegmasiis, præcipue asthenicis.

ε. A frigore febrili.

ζ. A crisi instante.

η. A sphakelo.

II. Alysmus cardiacus, pulmonalis.

VARIAT:

α. A sanguinis circulo impedito: ex polypo, anevrismate, ossificatione etc. cordis, aortæ, vasorum coronariorum, vasorum pulmonis, aut venæ cavæ.

β. Ab hydrothorace, vel hydrope pericardii.

γ. Ab aëre inspirato corrupto, aut mephitico, vel ex defectu oxygenii in eodem.

δ. A dyspnœa, asthmate, pnigalio, pnigophobia, aliisve variis morbis pulmonum aut thoracis.

III. Alysmus gastricus.

Variat:

α. Ab ingestis quantitate aut qualitate peccantibus.

β. A saburra biliosa, pituitosa, putrida, acida primarum viarum.

γ. A vermibus.

δ. A venenis assumptis.

ε. A pneumatosi, tympanitide.

ζ. Ab emphraxi vasorum aut viscerum abdominalium.

IV. Alysmus nervosus.

Variat:

α. Ab animi pathematibus tristibus, præcipue metu, mœrore, etc.

β. A dolore violento.

γ. Ab hyperkinesia.

δ. A viribus labore, inedia, mentis intentione etc. exhaustis.

ε. A miasmate putrido, aut a venenis quibusdam in massam sanguinis absorptis.

G. CXVIII. CNESMUS.

Gr. Κνησμὸς, seu Κνῆσις, pruritus, a κνάω, fricare, scabere.

Titillatio ingrata, aut sensatio in cute molesta, ad scalpendum imperiose impellens; quandoque cum ardore seu calore fervido, aut cum cutis siccitate, ariditate juncta.

Syn. Pruritus, seu prurigo. *Auct.*

A. Itching, or Scalding.
G. Démangeaison; Prurit.
Ge. Jucken.

I. Cnesmus universalis.

Ab acri in massa sanguinis generato, aut ex systemate gastrico vel hepatico absorpto, et ad cutem delato; quandoque periodicus.

Sp. 1. Cnesmus *Idiopathicus.*

Variat pro causa remota:

α. A morbis cutis chronicis, vel acutis, variis: Lepra, herpete, psora, erysipelate etc.

β. Ab exanthematibus desquammantibus, vel desiccantibus.

γ. A phthiriasi, morpionibus, pediculis, cimicibus, pulicibus etc.

δ. A vestibus vel tibialibus laneis, aut indusiis quibusve rudioribus.

ε. Ab acribus, venenatis superficiei cutis applicatis.

ζ. A bile ad cutem delata; maxime versus finem icteri superveniens (ictericus).

η. A vitiis pilorum, crinonibus, etc.

θ. Ab ariditate aut immunditie cutis.

ι. A materia perspirabili acriore.

κ. A galactoplania, uroplania etc.

λ. Podagricorum.

μ. Scorbuticorum.

ν. Senum. } Vide *Psoriasis.*

ξ. Ebriorum. }

Sp. 2. Cnesmus *Sympathicus.*

VARIAT:

α. A saburra gastrica.

β. Ab ingestis quibusdam acribus, cancris, mytulis, cerevisia tenui, etc.

γ. A vermibus canalis intestinalis.

δ. Ab emphraxi vasorum vel viscerum abdominalium.

ε. Ab ischomenia, dysmenia aut Pausimenia.

II. Cnesmus topicus.

Variat pro causa remota:

α. A cicatrice.
β. A vulneribus aut ulceribus sanantibus.
γ. A vincturis aut fasciis post luxationes, fracturas etc.
δ. A morsura aut punctura insectorum etc.
ε. Ab acri applicato: dolicho pruriente, urtica etc.
ζ. A vermibus aut insectis.
η. Ab acri podagrico ad cutem aberrante.

A. Cnesmus *faciei*.

Podagrici sæpe sensationem ingratam, aut destillationem, quasi a tela aranearum, in facie sentiunt, et ex hac impendentem paroxysmum podagricum recte augurant.

B. Cnesmus *carunculæ lacrymalis*.

A pustulis, ulcere, aut a punctura insectorum etc. ortus.

C. Cnesmus *narium*.

A secretione vitiosa, aut insectis, vermiculis in naso hospitantibus; frequenter etiam symptoma evidens vermium intestinalium.

D. Cnesmus *ani*.

Variat:

α. Ab ascaridibus.
β. Ab hæmorrhoidibus turgentibus.
γ. A secretione humoris acris, præcipue herpetici.
δ. A metastasi.
ε. A viru syphilitico.

E. Cnesmus *Scroti*, vel *Colis*.

Variat:

α. A morpionibus.
β. A viru herpetico, syphilitico etc. applicato.
γ. Ab humoris acris secretione aut metastasi.
δ. A muco acri applicato.
ε. Ab Hyperorgosi.

F. Cnesmus *Vulvæ* aut *labiorum Vulvæ*.

Variat:

α. A tumore vel irritatione labiorum vulvæ, durante graviditate, aut versus periodum cessationis menstruorum.
β. Ab herpete, syphilitide, aliove humore acri.
γ. A blennorrhagia vel blennorrhœa.
δ. Ab ulceribus aut pustulis variis.
ε. A machlosyne.
ζ. A morpionibus.
η. Ab ascaridibus.

G. CXIX. KEPHALALGIA.

Gr. Κεφαλαλγία, a κεφαλὴ, caput, et ἄλγος, dolor : Dolor capitis.

Molesta atque insolita quædam perceptio gravitatis, punctionis, distensionis, compressionis, pulsationis aliusve similis ingratæ sensationis, totum caput, vel punctum aut partem ejus afficientis. Morbus acutus, transitorius; vel chronicus rebellis, sæpe periodicus.

A. Head-ach.
G. Mal de tête; douleur de tête; migraine.
Ge. Kopfweh; Kopfschmerz.

VARIETATES Kephalalgiæ sunt :

1. Kephalæa (Gr. Κεφαλαία) dolor capitis chronicus, pertinax, seu inveteratus.
2. *Carebaria* (Gr. Καρηβαρία, a κάρη, caput, et βάρος, gravitas, pondus : Gravitas capitis) dolor capitis gravativus.
3. *Hemicrania* (Gr. Ἡμικρανία, ab ἡμὶ, dimidium) dolor dimidii capitis; sive dolor occiput aut sinciput, sive latus alterutrum capitis afficiat.
4. *Clavus*, dolor acutus fixus in parva quadam

capitis parte, aut potius in puncto cranii, maxime fœminis hyperkinesia laborantibus frequens; quandoque etiam a viru syphilitico ortus.

A. Kephalalgia idiopathica.

Ubi sedes et causa morbi est in ipso capite, idque vel externe in periosteo aut in ossibus cranii; vel interne in cerebro aut ejus meningibus, vasis aut cavitatibus; vel denique in osse ethmoideo, aut in sinubus frontalibus.

Sp. 1. Kephalalgia *Organica.*

VARIAT pro causa remota :

α. A mala conformatione capitis connata vel acquisita.

β. A vi externa capiti illata : ex ictu, lapsu, contusione, concussione, vulnere, fissura, fractura, intropressione ossium cranii, vel ex festucis ossium meningibus aut cerebro infixis.

γ. Ab extravasatione aut stagnatione vel congestione sanguinis, pituitæ, lymphæ, seri, aquæ, puris, lactis in cavo cranii.

δ. Ab inflammatione aut apostemate cerebri ejusve meningum.

ε. A compressione cerebri : ex tumoribus, pure, steatomate, polypo, hydatidibus, etc.

ζ. A tumore periostei, exostosi aut hyperostosi, vel a carie ossium cranii vel auris.

η. Ab induratione aut ossificatione vasorum cerebri.

θ. A corporibus extraneis : calculis, ossiculis, spinis ossium, globis sclopetariis etc. in cerebro, aure, vel ossibus nasi hærentibus.

ι. A sinubus frontalibus aut osse ethmoideo varie affectis a vermibus, insectis ibi nidulantibus, aut ab induratione muci, tabaci.

κ. Ab inflammatione, aut apostemate narium, oculorum, aurium, ossis cribosi vel sinuum frontalium.

λ. A polypo narium.

Sp. 2. Kephalalgia *Repletionis.*

Dolor capitis vel sensatio molesta, quo caput distentum, turgidum, vel quasi gravatum sentitur, cum rubore, vel pallore abnormi faciei, ac difficultate functiones mentales rite exercendi; quandoque cum sopore, vertigine, delirio, vel syncope; maxime junioribus, sanguineis, aut subjectis laute viventibus familiaris.

VARIAT pro causa remota:

A. A causis sanguinem rarefacientibus, vel eundem versus caput determinantibus :

α. Ab inflammatione cerebri vel meningum, aut ab insolatione, præcipue messoribus, itinerantibus etc. tempore æstivo frequens.

β. Ab evacuationibus sanguinis consuetis, ut menstruis aut hæmorrhoidibus suppressis; vel ex venæsectionis aut hirudinum applicatione consueta intermissa.

γ. Ab exercitio violento, præcipue æstuante sole.

δ. Ab usu largiori spirituosorum.

ε. A meditationibus aut studiis intensis.

ζ. Ab ira violenta.

η. A balneis aut semicupiis nimis calidis.

ϑ. A diuturniore mora in balneo frigido, aut ex ejusdem ingressu corpore æstuante.

ι. A transpiratione capitis frigore suppressa.

κ. A cubili nimis calefacto.

λ. A gyratione corporis.

μ. Ab infarctu pituitoso vel seroso in cerebro; maxime in senibus, phlegmaticis etc. (pituitosa).

ν. Ab hydrokephalo.

B. A causis refluxum sanguinis a capite liberum impedientibus:

α. A defectu gazis oxygenii in aëre inspirato.

β. A respiratione aëris, gaze acido carboni-

co, azoto seu nitrigenio, vel hydrogenio abundantis; præprimis in cubilibus aliisve locis arcte clausis.

γ. Ab inflammatione aut tumoribus variis faucium; vel a collariis, venas jugulares arcte comprimentibus.

δ. A pneumonitide, tussi violenta, aliisve pulmonum morbis, sanguinis transitum per pulmones liberum impedientibus.

ε. Ab anevrismate aortæ, aut hydrope thoracis, pulmones comprimente.

ζ. A compressione aortæ in abdomine: ex fasciis, ligaturis, thoraculis arctioribus; vel ex emphraxi aut tumore quocunque vasorum, vel viscerum abdominalium; ex graviditate; ex constipatione; aut ex turgore vasorum hæmorrhoidalium.

η. A situ corporis versus anteriora habitualiter inclinato, præprimis quorundam artificum, aut scriptorum, maxima diei parte capite antrorsum inclinato, occupatorum.

ϑ. A mœrore, tristitia etc. diuturnis.

Sp. 3. Kephalalgia *Inanitionis.*

Variat pro causa remota:

α. A depletione subita post partum, parakentesin.

β. Ab hæmorrhagiis vel hæmorrhoeis profusis.

γ. Ab inanitione, aut defectu nutrimenti.
δ. A venere nimia, anaphlasi, aselgotripsia.

Sp. 4. Kephalalgia *Syphilitica*.

A viru syphilitico in parte capitis quacunque fixo, sæpe cum exostosi, aut carie ossium sæpe etiam sine ullo vitio externe apparente; præprimis noctu sæviens, de die utplurimum mitior vel nulla.

Nota. Etsi dolores a viru syphilitico orti præprimisnoctu sæviant, id tamen non constanter obtinet; præterea kephalalgia, a rheumate, podagra, scorbuto etc., orta, sæpe etiam noctu exacerbatur.

Sp. 5. Kephalalgia *Metastatica*.

Variat:

α. Ab arthritide rheumatica vel podagrica, aut erysipelate retrocedentibus.
β. A transpiratione capitis, vel a sudore pedum aut aliarum partium consueto, suppresso.
γ. Ab achoribus, tinea, psora, herpete, pustulis faciei, aliisve exanthematibus retropulsis.
δ. Ab ulcere, fonticulo, setaceo, incaute siccatis.
ε. A metastasi aquarum hydrope laborantium;
ζ. Ab hæmoplania, pyoplania, galactoplania etc.

η. A podagra aberrante.

ϑ. A blennorrhagia genitalium syphilitica suppressa.

ι. Ab ophthalmitide incaute retropulsa.

κ. Ab otorrhœa siccata.

λ. A trichomate, aut etiam a capillis sanis abscissis.

μ. Ab hydrargyro in cerebro, vel inter laminas cranii extravasato.

B. Kephalalgia sympathica.

Ubi dolor quidem in capite, sed causa ejus extra caput hæret.

Sp. 6. Kephalalgia *Nervosa.*

Dolor acutissimus in quadam sincipitis parte, præcipue in vertice vel supra supercilium, punctum fixum, velut clavis alte in cranium defixi, occupans, sæpe cum sensu frigoris, quasi a frusto glaciei imposito; præcipue debilibus, delicatulis infestus.

SYN. Cephalæa.
Cephalalgia frigida.
Clavus hystericus.
Hemicranica.
} *Auct.*

VARIAT:

α. A dente carioso.

β. A dente sapientiæ latente.

γ. A

γ. A vitio antri maxillaris.
δ. Ab ozæna aut polypo narium.
ε. A stenosi narium.
ζ. A contusione pollicis. *Haller.*
η. Ab utero vel ovariis affectis.
θ. A castitate severa.
ι. A graviditate.
κ. A calculo renum.
λ. Ab hyperkinesia, præcipue hysterica.
μ. Ab odoribus peculiaribus.

Sp. 7. Kephalalgia *Periodica.*

Dolor capitis, plerumque unius lateris, sæpe oculo et facie ejusdem lateris simul affectis, per intervalla temporis regularia, utplurimum mane vel meridie revertens; quandoque lunari vel solari periodo correspondens, sine ulla febre, excepta ea quæ ex violentia doloris oritur; vel cum specie dialeipyræ et urina lateritia junctus. Morbus quandoque idiopathicus, sæpius sympathicus, aut symptomaticus, maxime ex vitio gastrico aut ex vitio dentis molaris ortus; non raro cum gasteralgia, enteralgia, otalgia, odontalgia, vel cum podagra, herpete, aliisve cutis eruptionibus alternans.

Syn. Hemicrania. *Auct.*

A. Megrim.
G. Migraine.
Ge. Migräne; halbseitiges Kopfweh.

Sp. 8. Kephalalgia *Gastrica*.

Variat:

α. A saburra biliosa, acida, pituitosa, rancida, putrida primarum viarum.
β. Ab ebrietate, seu crapula hesterna.
γ. Ab opio, aliisve narcoticis assumptis.
δ. A venenis acribus, secale cornuto, fungis noxiis etc. assumptis.
ε. Ab ingluvie, aut ab indigestibilibus crudis assumptis.
ζ. A vermibus ventriculi vel intestinorum.
η. Ab infarctu viscerum vel vasorum abdominalium.

C. Kephalalgia symptomatica.

Ubi dolor capitis alterius cujusdam morbi primarii symptoma est.

1. Kephalalgia *Febrilis*.

Variat pro varia febris, phlegmasiæ, aut exanthematis indole.

2. Kephalalgia *Scorbutica*.

G. CXX. PROSOPALGIA.

A Gr. Πρόσωπον, facies, et ἄλγος, dolor: Dolor faciei.

Dolor nervorum ac musculorum faciei intensissimus, chronicus, sæpe per intervalla revertens, utplurimum cum convulsione musculorum variorum faciei, sine causa aut vitio externo evidente; non raro prægressa anxietate, cnesmo aut dolore molesto in alia quadam corporis parte invadens, et præcipue cursum nervi infraorbitalis vel nervi facialis, in pedem anserinum expansi, sequens (*).

G. Tic douloureux.

Ge. Gesichtschmerz; Antlizschmerz.

I. Prosopalgia idiopathica.

Variat pro causa remota:

α. A fluidi nervei influxu irregulari.

(*) Hic morbus jam ab Arabibus, præcipue ab *Ebn Sina* notatus, nuper a D[re] *Fothergill*, aliisve exactius descriptus, a modernis pluribus cum Hemicrania aut Kephalæa male confunditur.

β. A transpiratione capitis, frigore suppressa.

γ. Ab exostosi, aut carie ossium capitis.

II. Prosopalgia symptomatica.

Variat:

α. Ab evacuationibus sanguinis consuetis suppressis.

β. Ab arthritide podagrica, vel rheumatica, aut erysipelate retrocedentibus.

γ. A sudore pedum vel axillarum consueto suppresso.

δ. A morbis cutaneis incaute retropulsis.

ε. Ab aurium fluxu cohibito.

ζ. A blennorrhagia urethræ suppressa.

η. A vitio syphilitico in capite fixo.

III. Prosopalgia sympathica.

Variat:

α. A carie dentis visibili vel occulta.

β. A dente sapientiæ prorumpente.

γ. A vitio maxillæ aut antri Highmori.

δ. A vermibus intestinalibus.

ε. A vitio gastrico vel abdominali.

ζ. Ab affectione aut vitio medullæ spinalis.

η. A skirrho aut carkinomate mammæ.

ϑ. Ab emphraxi viscerum abdominalium.

G. CXXI. OPHTHALMODYNIA.

A Gr. Ὀφθαλμὸς, oculus, et Ὀδύνη, dolor: Dolor oculorum.

A. Pain, or uneasiness in the eye.
G. Douleur aux yeux.
Ge. Augenweh.

I. Ophthalmodynia idiopathica.

VARIAT pro causa remota:

α. Ab inflammatione.. Vide *Ophthalmitis.*
β. A refrigerio capitis vel oculorum.
γ. A acri illapso vel externe oculo applicato.
δ. A trichiasi, seu ciliorum inversione.
ε. A glandularum tarsi, vel palpebrarum tumore, duritie etc.
ζ. Ab ulcere corneæ aut albugineæ, vel palpebrarum.
η. Ab apostemate inter laminas corneæ.
ϑ. A pustulis palpebrarum, earumve glandularum.
ι. Ab hydrope oculi.
κ. A carkinomate oculi.
λ. A fistula lacrymali.
μ. A vitio carunculæ.
ν. A vitio glandulæ lacrymalis.
ξ. A defectu aut acrimonia humoris lacrymalis.

ο. A synechia seu adhæsione limbi uveæ cum cornea.

π. A læsione vel contusione oculi.

II. Ophthalmodynia symptomatica.

VARIAT pro causa remota:

α. Ab herpete, psora, tinea, achoribus, sudore locali, retropulsis.

β. Ab ulceribus, fonticulis, setaceis, vesicantibus præpostere siccatis.

γ. Ab arthritide podagrica, rheumatica, vel erysipelate retrocedentibus.

δ. A materia variolosa, rubeolosa etc. oculum afficiente.

ε. A vitio scrofuloso.

ζ. A vitio syphilitico in oculo fixo.

η A blennorrhagia syphilitica genitalium suppressa.

ϑ. A saburra primarum viarum.

ι. A vermibus intestinorum.

κ. Periodica, cum vel sine dialeipyra.

G. CXXII. OTALGIA.

Gr. Ὠταλγία, ab οὖς, ὠτὸς, auris, et ἄλγος, dolor: Dolor aurium.

A. Ear-ach.
G. Douleur, ou Mal d'oreille.
Ge. Ohrenschmerz; Ohrenweh.

A. Otalgia idiopathica.

Variant pro causa remota:

α. Ab inflammatione aut apostemate auris. Vide *Otitis*.

β. A vulnere, contusione, ictu; aut fractura ossium auris vel cranii.

γ. Ab ulcere, aut a carie ossium auris.

δ. A corporibus alienis in meatum auditorium illapsis, vel intrusis.

ε. A vermibus aut insectis irrepentibus.

ζ. A cerumine indurato.

η. A polypo, aliisve excrescentiis meatus auditorii.

B. Otalgia sympathica.

Dolor auris unius vel utriusque sine febre, inflammatione, aut causa alia externe apparente, cum paracusi aut dysacoia, præcipue in subjectis debilibus, delicatulis (*).

Syn. Otalgia nervosa. *Auct.*

Variat:

α. A frigore admisso.

(*) Morbus ex ramo nervi maxillaris inferioris seu ramo tertio quinti Paris cum nervo acustico seu septimi Paris portione dura communicante, ortus; unde summus inter maxillam et aurem consensus.

β. A dente sapientiæ latente.

γ. A carie dentis molaris visibili, vel a carie radicis dentis, aut ossis maxillaris occulta.

δ. A tuba Eustachii inflammata, ulcerata, obstructa.

ε. A saburra primarum viarum.

C. Otalgia symptomatica.

Variat:

α. A metastasi febrili.

β. A materia variolosa, rubelosa retrocedente.

γ. A tinea, achore, herpete etc. retropulsis.

δ. Ab ulcere retro aures præpostere suppresso.

ε. Ab arthritide rheumatica, vel podagrica, aut ab erysipelate retrocedentibus.

ζ. A podagra aberrante.

η. A menstruis aut hæmorrhoidibus suppressis.

ϑ. A blennorrhagia genitalium syphilitica suppressa.

ι. A viru syphilitico ossa auribus vicina occupante.

κ. A sudore locali pedum, axillarum etc. consueto suppresso.

λ. A variis morbis cerebri, vel ossium cranii.

G. CXXIII. ODONTALGIA.

Gr. Ὀδονταλγία, ab ὀδοὺς, dens: Dolor dentis.

A. Tooth-ach.

G. Mal aux dents.

Ge. Zahnweh; Zahnschmerz.

Sp. 1. Odontalgia *Inflammatoria.*

Dolor dentis ex inflammatione membranæ alveolarum, aut ex carie dentis; plerumque cum tumore et calore gingivarum et genæ, sæpe in apostema abiens.

Sp. 2. Odontalgia *Rheumatica.*

Dolor dentis ex refrigerio genarum, colli aut capitis; præcipue in subjectis delicatulis.

Sp. 3. Odontalgia *Nervosa.*

Dolor dentis cum frigore aut sensu frigoris genæ lateris affecti, sæpe cum hemicrania aut otalgia ejusdem lateris junctus.

VARIAT pro causa remota:

α. Ab humore acri, quandoque evidenter acido, in ore secreto, et membranam alveolarem aut partes vicinas irritante.

β. A carie dentis ex nervo denudato; hinc sæpe dolor vehemens ab accessu aëris, aut ab illapsis potulentis aut esculentis acidis, frigidis etc.

γ. A graviditate.

δ. A lactatione.

ε. Ab hyperkinesia.

Sp. 4. Odontalgia *Podagrica*.

A podagra aberrante; unde etiam sæpe crusta calculosa crassa dentes circumdans.

Sp. 5. Odontalgia *Scorbutica*.

Cum symptomatibus scorbuti juncta.

G. CXXIV. DYSODONTIASIS.

A Gr. Δὺς, difficulter et Ὀδοντίασις, dentitio: Dentitio difficilis.

I. Dysodontiasis infantum.

Calor oris abnormis; secretio salivæ acrioris copiosa; ejulatus frequens; tormina ventris; diarrhœa; alvus mucosa viridescens aut viridis; eclampsia.

II. Dysodontiasis adultorum.

A dente molari præcipue ultimo latente, aut actu prorumpente; unde sæpe prosopalgia, otalgia aut hemicrania rebelles, violentissimæ.

G. CXXV. GASTERALGIA.

A Gr. Γαστὴρ, stomachus *s.* ventriculus, et Ἄλγος, dolor.

Dolor ventriculi.

Syn. Cardialgia *Auct.*
Gastrodynia *Auct.*

A. Pain in the stomach.
G. Douleur, pesanteur, foiblesse d'estomac; mal au cœur; cardialgie.
Ge. Magenschmerz; Magenweh; Magenkrampf.

A. Gasteralgia idiopathica (*).

Sp. 1. Gasteralgia *Inflammatoria.*

Vide *Gastritis phlegmonodes.*

Sp. 2. Gasteralgia *Rheumatica.*

Dolor ventriculi acutus ex transpiratione

(*) Auctores plures dolorem ventriculi in tria genera dividunt, 1°. in *Cardialgiam* (a græco Καρδία; vox ambigua, utpote promiscue cor aut orificium ventriculi superius apud veteres denotans) seu dolorem aut morsum ventriculi vehementem cum sensu levis animi deliquii. 2°. In *Gastrodyniam* (a gr. Γαςὴρ, ventriculus, et ὀδύνη, dolor) seu dolorem ventriculi leviorem sine sensu leipothymiæ. 3°. In *Pyrosin* seu cardialgiam sputatoriam, in

subito suppressa aut ex haustu aquæ frigidæ, præcipue æstuante corpore, ortus.

Vide *Gastritis blennodes*.

Sp. 3. Gasteralgia *Pyrosis*.

Dolor ventriculi urens, quasi a flamma per fauces ascendente, cum sensu constrictionis in regione epigastrii, ac eructatione copiosa humoris limpidi tenuis, quandoque nauseose insipidi, quandoque evidenter acidi, imo acerrimi; sæpe simul summa anxietas, asthenia, leipothymia, inflatio epigastrii, apositia, vomitus ingestorum, enteralgia et constipatio rebellis.

Syn. Cardialgia sputatoria. *L.*
Pyrosis *S.* et *Cull.*
Soda. *V.*
Ardor stomachi *Auct.*

---

qua dolor ventriculi cum ardore et sæpe cum ructibus acidis vel insipidis jungitur. Ego nomen *Gasteralgiæ*, utpote fixum, pro nomine generico præferendum, et Pyrosin pro specie gasteralgiæ rectius ponendam esse censui. — Quod cardialgiam attinet, hoc vocabulum duplici fonte peccat, primo quod cardia græcorum cor æque ac orificium ventriculi superius designet; secundo quod sedes doloris ventriculi sæpe nec ab ægro nec a medico exacte determinari possit, et dolor modo ventriculum ipsum modo orificium ejus superius vel inferius teneat.

A. Water-qualm. *Scotis* Water-brash.
G. Fer chaud; aigreur d'estomac.
Ge. Sodbrennen; Wasserkolik.

Variat pro causa remota:

α. Ab acido durante digestione in ventriculo extricato. (*)
β. A pingui rancido.
γ. A bile acri in ventriculum regurgitante.
δ. A materia podagrica (**).
ε. Ab ulcere pylori.
ζ. A vitio ventriculi aut succi gastrici.
η. A graviditate.
θ. A chlorosi.
ι. A diæta acida vel acescente.
η. Ab animi pathematibus ingratis.

Sp. 4. Gasteralgia *Saburralis*.

Variat:

α. Gasteralgia *Biliosa*.

Dolor ventriculi cum amaritie oris, lingua

(*) Plures ægros tales vidi, qui ingentem quantitatem ructuum acidorum durante digestione per horam unam alteramve quotidie emittunt.

(**) Podagrici utplurimum ante accessum paroxysmi aut etiam eodem durante, ructibus acidis et gasteralgia sæpe laborant. Hoc malum sollicite distinguendum est a gasteralgia ex materia podagrica retrocedente aut aberrante orta, de qua mox infra.

tes vel lancinantes per thoracem et spinam dorsi ascendentes; levamen a ructibus flatulentis; extremitates frigidæ; appetitus cæterum et digestio sæpe bona: Quandoque, in casibus gravioribus sensus ponderis, instar frusti glaciei in ventriculo, vel magna anxietas ad præcordia ac vomitus frequens sine nausea evidente; symptomatum aggravatio ab animi pathematibus ingratis aut ab ingestis peculiaribus. Morbus maxime subjectis macilentis, irritabilibus, non raro tamen etiam fortioribus, robustis infestus, a ventriculi irritabilitate aut sensibilitate nimia oriundus.

SYN. Cardialgia hysterica.
——— Hypochondriaca.
——— Spasmodica.
——— Flatulenta.
} *Auct.*

VARIAT pro causa remota,

α. Ab hyperkinesia.

β. Ab ingestis flatulentis, acribus, irritantibus, stimulantibus.

γ. Ab animi pathematibus ingratis.

δ. A fame diutius durante.

ε. Ab ingestis acidis vel acescentibus; aut a lacte assumpto, in quibusdam subjectis.

ζ. A condimentis aromaticis, stimulantibus.

η. Ab

η. Ab arthritide podagrica aut rheumatica, vel ab erysipelate retrocedentibus (*).

ϑ. Ab oxydis aut salibus arsenici, plumbi, cupri, hydrargyri etc. deglutitis.

ι. A medicamentis acribus, vel ab emeticis aut catharticis drasticis assumptis.

κ. A venenis variis vegetabilibus ingestis.

λ. Ab effluviis paludum noxiis, aut a materia contagiosa vel exanthematica deglutitione in ventriculum delatis.

μ. A pulvere aut fumo nicotiana-tabaci deglutito.

ν. A foliis aut pulvere ejusdem externe epigastrio applicatis.

Sp. 8. Gasteralgia *Asthenica*.

Sensatio repletionis aut ponderis in ventriculo, præcipue post pastum; apepsia; digestio lenta, difficilis; anorexia, nausea, vomitus, vel eructatio ingestorum, sine dolore acuto.

Variat:

α. A defectu, inertia, aut vitiosa succi gastrici qualitate.

β. Ab ingluvie habituali, aut distensione nimia et frequenti ventriculi.

(*) Materia podagrica aberrans sæpe sedem suam figit in ipso ventriculo; quandoque in hepate, vel etiam in diaphragmate, pulmone etc.

γ. Ab ebrietate habituali.

δ. Ab abusu potuum calidorum, seri lactis etc.

ε. Ab emesia frequenti.

ζ. Ab exhaustis viribus per evacuationes profusas.

η. Ab usu præpostero narcoticorum, præcipue opii.

ϑ. Ab usu interno præparatorum hydrargyri incauto.

ι. A morbis variis biliosis, pituitosis, chronicis vel acutis prægressis.

κ. A pituitæ tenacis accumulatione.

λ. A diæta flatulenta, pingui, glutinosa.

μ. Ab otio aut exercitii defectu, vel ejusdem consueti intermissione.

ν. A mœrore aliisve animi pathematibus tristibus.

Sp. 9. Gasteralgia *Organica.*

A vitio ventriculi organico oriunda.

Variat:

α. A Skirrhosa, vel ulcerosa.

Pressio et dolor obtusus ad scrobiculum cum dyspepsia, anorexia, vomitu frequenti ingestorum et marcore generali, a callositate, ossificatione, skirho, ulcere aut carkinomate ventriculi et maxime pylori orta.

β. A vulnere, dilaceratione, erosione, excoriatione ventriculi.

γ. A situ abnormi, aut hernia ventriculi.

δ. A stenosi aut contractione morbosa pylori, vel ventriculi.

B. Gasteralgia sympathica.

Variat:

α. A læsione aut concussione capitis vel cerebri.

β. A graviditate.

γ. A vitio uteri.

δ. A torpore ovariorum.

ε. A torpore vasorum cutaneorum.

ζ. Ab ischomenia, dysmenia vel pausimenia.

η. A vasis hæmorrhoidalibus turgentibus, vel ab hæmorrhoidum fluxu suppresso.

C. Gasteralgia symptomatica.

Variat:

α. Ab exanthematibus non rite prodeuntibus, vel retrocedentibus.

β. Ab arthritide podagrica vel rheumatica aut erysipelate retrocedentibus.

γ. A sudore consueto suppresso.

δ. A morbis cutis chronicis herpete, psora etc. retrocedentibus (unde gasteralgia, sæpe cum morbis cutis alternans).

ε. A blennorrhœa uterina profusa.

ζ. A sanguine aut bile atra, ex vasis brevibus in ventriculum regurgitante.

η. Ab emphraxi splenis.

ϑ. A calculo felleo (*).

ι. A compressione ventriculi vel pylori.

1. A curvatura, intropressione aut luxatione cartilaginis xyphoidei.
2. A tumore hepatis, lienis, pancreatis, omenti, mesenterii, aut intestini coli flatibus distenti.
3. Ab excrescentiis vicinis.
4. Ab aneurismate cordis, aortæ vel arteriæ cœliacæ.

G. CXXVI. ENTERALGIA.

Gr. Ἐντεραλγία, ab Ἔντερον, intestinum, et Ἄλγος, dolor: Dolor intestinorum. (**)

Dolor in quadam abdominis parte fixus, vel per abdomen extensus, plus mi-

---

(*) Dolor epigastrii acutissimus cum vomitu rebelli ex calculo felleo, in ductu choledocho impacto vel in orificio ejusdem prope duodenum hærente, non raro sed male a practicis pro gasteralgia aut enteralgia habetur.

(**) Dolores abdominis seu intestinorum sæpe effectus potius aliorum morborum quam morbi pimarii sunt, quod practico sollicite notandum est.

nusve violentus, continuus vel remittens, aut periodice rediens, cum constipatione, vel diarrhœa, et cum contractione vel cum distensione ventris. Morbus plerumque pulsu parvo, frequenti, ac debili, quandoque irregulari, et magna virium prostratione stipatus.

Syn. Colica. *Auct.* (*)
Ileus, *s.* passio iliaca. *S.* et *V.*
Dolor et spasmus iliacus. *Fr. Hoffm.*
Affectus mirachialis (a *Mirach* epigastrium *Arab.*)
Rachialgia *S.*

A. Colic; pain in the bowels.
G. La colique.
Ge. Kolik; Bauchschmerz; Bauchweh.

Variat sede:

α. In intestinis tenuibus: duodeno, jejuno vel ileo.
β. ——— crassis: cæco, colo vel recto.

(*) Denominationes: *Colica*, et *Ileus* impropriæ sunt, ut supra de gasteralgia notavi, cum sedes morbi non semper in ileo aut colo, sed sæpe in aliis canalis intestinalis locis hæreat.

A. Enteralgia idiopathica.

Sp. 1. Enteralgia *Inflammatoria.*

Vide *Enteritis phlegmonodea.*

Syn. Colica phlogistica *S.*
Ileus inflammatorius *S.*

Sp. 2. Enteralgia *Rheumatica.*

Post transpirationem, a frigore externo admisso, vel ex potu aquæ frigidæ, præcipue corpore æstuante, suppressam, dolor acutus abdominis seu tormina ventris, cum pulsu duro (sanguis missus crustam densam formans), et plerumque cum dejectionibus frequentibus, copiosis, mucosis sine sanguine admixto, et sine vomitu.

Vide *Enteritis blennodes.*

Sp. 3. Enteralgia *Dysenterica.*

Vide *Dysenteria.*

Colica dysenterica. *Auct.*

Sp. 4. Enteralgia *Erethistica.*

Dolor fixus, vel tormina ventris, sæpe cum spasmo musculorum abdominalium, constipatione rebelli, vel diarrhœa, ac surarum spasmis.

SYN. Colica spasmodica.
—— Hysterica.
—— Nervosa.
—— Hypochondriaca.

VARIAT pro causa remota :

α. Ab ingestis acribus, acidis, vel flatulentis assumptis.

β. A nucleis, acubus, aliisve heterogeneis aut indigestibilibus deglutitis.

γ. Ab hyperkinesia.

δ. A refrigerio pedum vel ventris.

ε. Ab hernia.

ζ. A venenis aut medicamentis acribus irritantibus assumptis.

η. A pane, aliisve nutrimentis pravæ indolis, præcipue sub anonæ caritate, ingestis.

N. B. Ad hanc enteralgiæ speciem etiam referendæ sunt :

Colica Siamensis ab esu carnis bubulæ (protabiliter boum plantis acribus nutritorum) orta. (Vide *Nic. Gervaise Hist. de Siam* 4°. Parisiis pag. 104), et Colica Iaponica ab usu cerevisæ ex oryza paratæ orta.

Huc etiam pertinet :

Enteralgia *Infantum.*

α. Ab imperforatione ani.

β. A meconio retento.

γ. A lacte pravæ qualitatis assumpto.

δ. Ab acido.

ε. A vermibus

ζ. A dysodontiasi.

η. A refrigerio pedum vel ventris.

Sp. 5. Enteralgia *Flatulenta.*

Tumor ventris ac dolor, pressione non aggravatus; borborygmi; levamen a flatibus expulsis. Vide *Pneumatosis*, et *Tympanitis.*

Syn. Colica flatulenta *Auct.*

Variat pro causa remota:

α. A flatulentis, fermentantibus ingestis.

β. A debilitate ventriculi aut intestinorum.

γ. A vita sedentaria.

δ. A dispositione peculiari corporis ad flatulentiam.

Sp. 6. Enteralgia *Biliosa.*

Maxime tempore æstivo vel autumnali frequens, sæpe epidemica; a bile flava, solito acriore, aut quantitate copiosiore; vel etiam a bile atra acri, in intestina effusa.

Syn. Colica biliosa. } *Auct.*
——— atrabiliaria. }

Vide *Cholerrhagia* et *Melœnorrhagia.*

Sp. 7. Enteralgia *Pituitosa.*

Tormina ventris cum excretione pituitæ tenacis, glutinosæ, vitreæ per alvum, utplurimum cum symptomatibus emphraxis viscerum abdominalium juncta.

Sp. 8. Enteralgia *Verminosa.*

A tænia solio, lata vel vulgari; aut a lumbricis vel ascaridibus in canali intestinali nidulantibus; aut a gordio aliisve vermibus vel insectis cum aqua vel alimentis deglutitis.

Sp. 9. Enteralgia *Stenotica.*

Dolor intestinorum fixus et permanens cum constipatione rebelli et motu peristaltico retrogrado, ita ut æger non solum assumpta, sed et fæces, et tandem etiam enemata injecta per os ejiciat, quandoque cum febre.

Syn. Ileus.
Ileus spasmodicus. } *Auct.*
Volvulus.

Variat pro causa remota:

α. A contractione spasmodica portionis cujusdam intestini.

β. A monetis, nucleis, lapillis, aciculis, aliisve

corporibus extraneis deglutitis, cavum intestini obstruentibus.

γ. A fæcibus induratis.

δ. A calculo in cavo intestinorum hærente.

ε. Ab introsusceptione partis unius intestini in aliud, seu volvulo.

ζ. Ab hernia incarcerata.

η. A coarctatione chronica seu chordapso in quacunque intestinorum tenuium vel crassorum parte.

ϑ. A vitio quocunque organico intestini cujusvis.

ι. A compressione intestini cujusdam a tumoribus vicinis: omenti, mesenterii, uteri, ovarii etc.

Sp. 10. Enteralgia *Plumbea.*

Præeunte utplurimum sensatione ponderis vel molestiæ in abdomine, præcipue circa umbilicum, dolor primo levior, non permanens, deinde gravior et fere continuus; constipatio plerumque rebellis, aut fæces duræ, globulosæ instar ovillarum; retractio umbilici et ani; tandem spasmi, et violenti dolores extremitatum superiorum et inferiorum, in paralysin abeuntes. — Morbus a vapore aut pulvere plumbi deglutito, præcipue iis familiaris, qui hoc metallum effodiunt, fundunt aut pro arti-

bus variis præparant aut tractant; vel qui vinis hoc metallo adulteratis, aut vino pomaceo vel esculentis acidis, in vasis plumbeis paratis vel conservatis, utuntur.

Syn. Colica pictonum. } *Auct.*
—— saturnina.
—— plumbariorum.
—— nervosa. *Macbr.*
—— Damnoniorum. *Angl.*
Rachialgia pictonum *S.*
—— metallica.
Colicus dolor figulorum, pictorum.

Sp. 12. Enteralgia *Venenata*

Variat :

α. A venenis variis vegetabilibus.
β. A fungis venenatis.
γ. A venenis variis mineralibus, præcipue arsenico, cupro, stibio, hydrargyro, plumbo.
δ. Ab alimentis aut potulentis veneno imprægnatis.
ε. A medicamentis acribus, drasticis assumptis.

Sp. 13. Enteralgia *Organica*.

A vitio organico intestinorum.

Variat:

α. Traumatica : a vulnere, dilaceratione, excoriatione aut læsione quacunque portionis intestini.

β. Ulcerosa, carkinomatosa.

γ. Skirrhosa.

δ. Stenotica : a callo, excrescentia, tumore, aut contractione portionis intestini cujusvis.

B. Enteralgia sympathica.

Variat:

α. A calculo in collo vesiculæ felleæ vel ductu kystico, aut choledocho vel in orificio ejusdem ad duodenum, hærente (*).

β. Ab inflammatione aut calculo renum vel ureterum.

γ. A graviditate.

δ. Ab vitio uteri vel ovariorum.

ε. A contusione aut læsione dorsi.

(*) *Colica hypochondriaca* Linnæi, et *Colica hysterica* seu *spasmodica* Sydenhami eædem esse evidentur, ac dolor spasmodicus ex calculo biliario vel urico ortus. — Dolor ex calculo biliario in ductu choledocho hærente, æque ac dolor ex calculo in pelvi renum vel in uretere impacto ortus, proprie ad enteralgiam non pertinent, cum doloris sedes in hisce casibus non in ipso canali intestinali, sed in locis vicinis hæreat.

C. Enteralgia symptomatica.

Variat pro causa remota:

α. Ab arthritide rheumatica, vel podagrica aut erysipelate, herpete, aliisve morbis cutis retropulsis.

β. A sudore aut transpiratione ventris vel pedum suppresso.

γ. A vasis hæmorrhoidalibus turgentibus, vel ex fluxu hæmorrhoidum suppresso.

δ. Ab emphraxi vasorum vel viscerum abdominalium.

ε. A dysmenia, ischomenia, aut Pausimenia.

ζ. A lochiorum fluxu suppresso, turbato.

η. A bile atra, vel sanguine nigro corrupto ex hepate, liene, aut vasis meseraicis, in cavum intestinorum effuso.

θ. A bile flava, quantitate aut qualitate vitiata, in intestina effusa.

ι. A pure ex abscessu quovis viscerum abdominalium rupto et in intestina delato.

κ. A compressione portionis intestini ex tumore aut skirrho vicino: uteri, ovarii, pancreatis, mesenterii, omenti etc.

G. CXXVII. HEPATALGIA.

A Gr. Ἧπαρ, hepar, jecur, et Ἄλγος, dolor: Dolor hepatis vel vesiculæ felleæ.

Dolor acutus, vel sensatio molesta, gravativa, tensiva in regione hypochondrii dextri, attactu et pressione aucta.

A. Pain in the liver or gallbladder.
G. Douleur du foie.
Ge. Schmerzen der Leber oder Gallenblase.

Sp. 1. Hepatalgia *Inflammatoria*.

Vide *Hepatitis*.

Sp. 2. Hepatalgia *Apostematica*.

Post inflammationem hepatis dolor in regione hypochondrii dextri, cum symptomatibus febris hecticæ; quandoque tumor fluctuans evidens in eadem regione.

Sp. 3. Hepatalgia *Emphractica*.

Tumor et durities in hypochondrio dextro, sæpe ad epigastrium extendens; dolor obtusus, tensivus, constans, pressione evidenter auctus; tussis sicca, profunda; dyspnœa; quandoque dolor in humero dextro et sæpe simul symptomata icteri cum urina fusca, crassa,

copiosum sediminentum deponente, ac constipatio rebellis.

SYN. Hepatalgia infarctus *S.*
Physconia hepatis *Cull.*
Infarctus hepatis. } *Auct.*
Obstructio hepatis. }

N. B. Cave ne hanc, aliamve hepatalgiæ speciem cum nephralgia confundas.

Sp. 4. Hepatalgia *Skirrhosa.*

Tumor et durities lapidea hepatis cum dolore gravativo, obtuso, tensivo, constanti in hypopochondrio dextro; dypnœa; tusis sicca, profunda; decubitus in latus sinistrum difficilis, dolorificus; apepsia; sensus ponderis in ventriculo; color faciei cachecticus, pallidus vel luteus; urina crassa, fusca cum multo sedimine; accedente tumore pedum œdematoso, marcore, febre hectica, aut hydrope abdominis. Morbus utplurimum ex aliis hepatalgiæ speciebus neglectis ortus.

SYN. Scirrhus hepatitis *Auct.*

VARIAT pro causa remota:

α. A dialeypyra aut hepatitide prægressa.
β. A vita sedentaria, otiosa.
γ. A mœrore, tristitia.

δ. A contusione, lapsu, concussione hepatis prægressa.

ε. Ab hæmorrhoidum fluxu consueto suppresso.

ζ. A victu pravo.

η. A torpore hepatis.

Sp. 5. Hepatalgia *Calculosa.*

Dolor acutus vehementissimus in hypochondrio dextro, sæpius in epigastrio juxta cursum ductus choledochi, vel circa ejus insertionem in duodeno, plerumque cum vomitu rebelli, et magna virium dejectione junctus; præcedente vel sæpius subsequente colore cutis icteritio cum urina fusca, crocea; alvus constipata, vel fæces gryseæ, albæ, duræ. Morbus a calculo biliario ex vesicula fellea expulso, et in ductu kystico vel choledocho, aut in hujus orificio ad duodenam impacto, ortus.

N. B. Hi dolores et spasmi ab ignaris non raro cum enteralgia aut cum nephralgia calculosa confunduntur.

G. CXXVIII.

G. CXXVIII. SPLENALGIA.

A Gr. Σπλὴν, splen, *s.* lien, et Ἄλγος, dolor: Dolor splenis, *s.* lienis.

Dolor obtusus, gravativus, raro acutus, in regione hypochondrii sinistri, præcipue versus dorsum ubi splen situm suum habet, pressione auctus.

A. Pain in the milt.
G. Douleur de la rate.
Ge. Schmerzen der Milz.

Sp. 1. Splenalgia *Inflammatoria.* Vide *Splenitis.*

Sp. 2. Splenalgia *Emphractica.*

Dolor splenis exercitio auctus, sæpe cum flatulentia, dyspnœa, et tussi sicca junctus; magna animi dejectio; lassitudo et dysphoria generalis; quandoque cardiopalmus aut palpitatio in epigastrio.

Syn. Obstructio lienis *Auct.*
Splenalgia infarctus. *S.*
Physconia lienis. *Cull.*

Variat pro causa remota:

α. Ab animi pathematibus tristibus.

β. A vita sedentaria.

γ. A dialeipyra, præprimis quartana, prægressa.

Sp. 3. Splenalgia *Skirrhosa.*

Symptomata præcedentis speciei, sed graviora, plerumque ex splenalgia emphractica neglecta oriunda.

SYN. Scirrhus lienis *Auct.*

G. CXXIX. NEPHRALGIA.

A Gr. Νεφρὸς, Ren: Dolor renum.

Dolor fixus in regione renum et ureterum, utplurimum vel in latere dextro vel in sinistro, rarius in utroque; sæpe ureteris iter sequens.

SYN. Colica nephritica. } *Auct.*
Dolor nephriticus. }

A. Pain in the Kidneys.
G. Douleur aux reins; Colique rénale.
Ge. Nierenschmerz; Schmerzen in den Nieren.

A. Nephralgia idiopathica.

Sp. 1. Nephralgia *Inflammatoria.*

Vide *Nephritis.*

Sp. 2. Nephralgia *Calculosa* (*Sabulosa*).

Dolor in regione renis alterutra, raro in utraque, gravativus, fixus et permanens, sed per intervalla (præcipue si in ureterem descendit calculus) atrocissimus; quandoque ductum ureteris sequens, et oblique in abdomine versus vesicam extensus; sæpe cum nausea, vomitu et stupore ac dolore clunis ac femoris lateris affecti, in viris cum retractione testiculi ejusdem lateris dolorifica; in fœminis vero, cum dolore aut stupore inguinis et cruris junctus; urina quandoque limpida, quandoque turbida, mucosa, vel purulenta.

Syn. Calculus renum.

A. Stone or Gravel in the Kidneys.
G. Calcul, ou Gravelle des reins.
Ge. Stein oder Griess in den Nieren.

N. B. Calculus renum sæpe per longum tempus sine molestia fertur, nisi a victu, aut potu irritante, ab animi pathematibus, exercitio validiori, aut vectura in rheda supra pavimentum rude moveatur; vel si ex rene in ureterem descendit, ibique impactus dolo-

rem acerbissimum cieat, donec in vesicam delatus fuerit.

Vide *Urolithiasis*.

Sp. 3. Nephralgia *Ulcerosa*.

Pyuria, cum dolore obtuso quandoque violento in regione renis, ex calculo, aut ex inflammatione renis prægressa, orta.

Sp. 4. Nephralgia *Organica*.

A desorganisatione renis, sæpe cum tumore enormi in regione renis, tactu perceptibilis.

Sp. 5. Nephralgia *Erethistica*.

VARIAT:

α. Ab acribus, irritantibus ingestis, aut externe applicatis, præcipue in subjectis irritabilibus, hyperkinesia laborantibus.

β. A calculo urico, vel a grummis sanguinis coagulati, in uretere hærentibus.

B. Nephralgia symptomatica.

VARIAT:

α. Nephralgia rheumatica.

β. ———— podagrica.

γ. Ab hæmorrhoidum aut menstruorum fluxu consueto impedito aut suppresso.

δ. A pressione mechanica renum : ab utero gravido, aliove tumore abnormi in partibus vicinis.

ε. A vitio vertebrarum aut spinæ dorsi.

G. CXXX. KYSTALGIA.

A Gr. Κύστις, vesica urinaria, et ἄλγος, dolor: Dolor vesicæ urinariæ.

Dolor acutus, vel obtusus gravativus lumborum, simulque in regione hypogastrica supra os pubis, aut etiam in perinæo, pressione auctus.

Syn. Cystodynia. *Auct.*

A. Pain in the Bladder.
G. Douleur de la vessie.
Ge. Schmerzen der Harnblase.

A. Kystalgia idiopathica.

Sp. 1. Kystalgia *Inflammatoria.*
Vide *Kystitis phlegmonodes.*

Sp. 2. Kystalgia *Mucosa.*

Syn. Rheumatismus vesicæ. } *Auct.*
Catarrhus vesicæ. } *Auct.*
Glus. *L.*

Vide *Kystitis blennodes*, et *Blennorrhagia vesicæ.*

Sp. 3. Kystalgia *Ulcerosa.*

Cum urina purulenta juncta.

Sp. 4. Kysthalgia *Erethistica.*

Dolor vesicæ, sæpe calculum mentiens, inspectione urinæ, vel introductione catheteris investigandus.

VARIAT:

α. A medicamentis acribus, diureticis, irritantibus, præcipue lytta vesicatoria, aut venenis assumptis.

γ. Ab injectionibus acribus, excoriantibus.

β. Ab acribus, præcipue lytta vesicatoria, externe applicatis.

δ. A vermibus in vesica nidulantibus.

Sp. 5. Kystalgia *Calculosa.*

Introductione catheteris per urethram et digito per anum dignoscenda.

Vide *Urolithiasis.*

Sp. 6. Kystalgia a stimulo mechanico.

A peregrinis in cavo vesicæ hærentibus.

VARIAT;

α. Ab acicula antea deglutita.

β. A cereolo ex urethra in vesicam delato (*).

Sp. 7. Kystalgia *Organica.*

α. A membranis vesicæ incrassatis, seu substantia vesicæ callosa.

β. Ab ulcere, fistula, aut carkinomate vesicæ, vel urethræ.

γ. Ab artevrismate.

δ. A coalitione vesicæ cum partibus vicinis.

ε. Ab excrescentiis, aut fungis vesicæ.

ζ. Ab hydatidibus.

η. A læsione, contusione.

ϑ. Ab hernia, prolapsu, aut inversione vesicæ.

II. Kystalgia symptomatica.

VARIAT pro causa remota:

α. A morbis renum.

β. A morbis urethræ.

γ. Ab inflammatione, tumore, skirrho etc. prostatæ.

δ. A vitiis vesicularum seminalium.

ε. A tumore aliisve morbis uteri.

ζ. A graviditate.

(*) Juvenem novi, qui misere periit ex cereolo in urethram introducto, et ex incuria chirurgi sine ligatura per noctem relicto, ac ex canali urethræ noctu insensibiliter in vesicam ascendente.

η. Ab hernia, prolapsu etc. uteri vel ani.

ϑ. Ab turgore, aut irritatione vasorum hæmorrhoidalium.

G. CXXXI. HYSTERALGIA.

A Gr. Ὑστέρα, uterus, *s.* matrix, et ἄλγος, dolor: Dolor uteri, vel vaginæ uteri.

Dolor obtusus, gravativus, vel acutus lancinans fœminarum in regione hypogastrica; dolor lumborum; apepsia, nausea, vomitus; dysuria; tenesmus.

Syn. Hysteralgia. } *Auct.*
Metrodynia.

A. Pain in the womb.
G. Douleur dans la matrice.
Ge. Mutterschmerz.

I. Hysteralgia idiopathica.

Sp. 1. Hysteralgia *Inflammatoria.*
Vide *Hysteritis.*

Sp. 2. Hysteralgia *Ulcerosa.*

Syn. Ulcus uteri. *Auct.*

Tumor et dolor obtusus uteri, cum excretione materiæ ichorosæ, fœtidæ, acris, sæpe vaginam, labia vulvæ, et femora excoriantis.

Sp. 3. Hysteralgia *Skirrhosa.*

Syn. Scirrhus uteri. *Auct.*

Dolor gravativus, aut sensatio molesta ponderis cum tumore duro in regione hypogastrica, pressione auctus; sæpe simul tumor durus aut inæqualitas aspera in orificio aut collo uteri, digito in vaginam introducto detegendus, sæpe cum dysuria ac dolore lumborum, inguinum, vel ad anum, præcipue in statu corporis erecto junctus. — Morbus præprimis mulieribus versus cessationem menstruorum, apud nos circa 45 ad 48 ætatis annum, infestus; quandoque etiam ex læsione, aut ex ictu oriundus.

Sp. 4. Hysteralgia *Carkinomatosa.*

Syn. Cancer uteri. *Auct.*

Tumor durus uteri, vel colli uteri, et dolor per intervalla lancinans, pressione auctus, aut etiam digitis in vaginam immissis detegendus, cum excretione materiæ odoris peculiaris, nauseabundi, fœtidi; apepsia, nausea, leipothymia frequenti stipatus.

Sp. 5. Hysteralgia *Repletionis.*

Dolor uteri, lumborum, inguinum, cum sensu ponderis, a congestione sanguinis in

vasis uteri, ex ischomenia, dysmenia, vel pausimenia; aut etiam ex lochiis vel hæmorrhoidibus suppressis, ortus.

Sp. 6. Hysteralgia *Erethistica.*

SYN. Hysteralgia vaporosa.
——— hysterica.
——— pruriginosa.
Colica hysterica.
} *Auct.*

VARIAT pro causa remota:

α. Ab hyperkinesia.

β. Ab nimia uteri vel ovariorum irritabilitate aut sensibilitate.

γ. A distensione uteri versus finem graviditatis (unde dolores partus spurii), aut a distensione uteri nimia, tempore partus veri (unde dolores partus).

δ Ab excessu veneris, aut aselgotripsiæ.

ε. A castitate severa.

ζ. A graviditate.

η. A fluxu menstruorum vel lochiorum difficili.

θ. A læsione uteri durante aut post partum.

ι. A placenta vi ablata.

κ. A placenta vel ejusdem portione post partum in utero relicta.

λ. A situ placentæ abnormi.

μ. A peregrinis in cavo uteri: mola, polypo,

excrescentiis, grummis sanguinis, hydatidibus, vermibus etc.

ν. A materia acri herpetica, syphilitica etc. ad uterum delata.

ξ. Ab emeticis, catharticis drasticis, menagogis, aut venenis acribus assumptis.

Sp. 7. Hysteralgia *Asthenica*.

Variat:

α. A nimia distensione uteri, ex quacunque causa prægressa.

β. A partu laborioso.

γ. A partu præpostere accelerato.

δ. Ab hæmorrhagia uteri prægressa.

ε. A fluxu immodico menstruorum, vel lochiorum.

ζ. A blennorrhœa uteri immodica.

Sp. 8. Hysteralgia *Organica*.

Variat:

α. Traumatica: a læsione, vulnere, contusione, concussione matricis, vel a placenta vi, aut lapsu avulsa.

β. Skirrhosa, carkinomatosa.

γ. Ulcerosa.

δ. Ab hernia uteri.

ε. A prolapsu aut inversione uteri.

ζ. A situ uteri abnormi.

η. Ab hysteronco vario.

ϑ. A mola, polypo, hydatidibus, aut excrescentiis in cavo uteri vel in vagina.

ι. A callositate aut ossificatione uteri.

κ. A nimia extensione uteri, vel ejus ligamentorum aut vaginæ uteri.

λ. A calculo uteri.

II. Hysteralgia sympathica.

Variat:

α. Ab inflammatione, ulcere, carkinomate aut calculo vesicæ.

β. Ab ulcere, aut carkinomate, vermibus, aliisve morbis ani vel intestini recti.

γ. Ab ulcere, inflammatione, carkinomate, polypo uteri vel vaginæ uteri.

δ. A saburra gastrica.

ε. A renum vitio.

ζ. Ab ovariorum vitio.

III. Hysteralgia symptomatica.

Variat:

α. Ab arthritide podagrica aut rheumatica, vel ab erysipelate, herpete, aliisve morbis cutis retrocedentibus.

β. A podagra aberrante.

γ. A lactis aberratione ad uterum (Hysteralgia lactea. *S.*)

δ. A metastasi febrili, vel a retrocessione tumoris parotidum.

ε. A compressione uteri, per tumores vicinos ovariorum, aliorumve viscerum abdominalium; præcipue a recto fæcibus duris repleto, vel ab hydrope abdominis aut ovarii.

ζ. Ab inflammatione peritonæi, mesenterii, omenti, intestinorum etc., præcipue post partum.

η. A vitio pelvis.

θ. A læsione, curvatura, aut aliis vitiis spinæ dorsi aut lumborum.

G. CXXXII. PROCTALGIA.

A Gr. Πρωκτὸς, anus, et ἄλγος, dolor.

Dolor ani, seu extremi recti et partium vicinarum, sæpe cum cnesmo intolerabili junctus.

Syn. Clunesia. } *Auct.*
Cyssotis.

A. Pain at the anus.

G. Douleur à l'anus; douleur du fondement.

Ge. Schmerz am after.

Huc etiam pertinet :

Tenesmus (a gr. Τεινεσμὸς), continuus et molestus nisus, seu desiderium alvum depo-

nendi, quo plerumque nihil, præter cruenta, vel mucosa, pauca, acria egeruntur, maxime a substantiis, mole aut acrimonia sua irritantibus, oriundus.

Sp. 1. Proctalgia *Inflammatoria.*

Dolor acutus cum calore et tumore ad anum; excretio alvi difficilis, summe dolorifica.

Syn. Proctitis, *s.* Inflammatio ani. *Auct.*

Variat pro causa remota:

α. Ab ictu aut contusione.

β. Ab equitatione.

γ. Ab hæmorrhoidibus tumentibus, præcipue ex sphinctere ani contracto, strangulatis.

δ. A prolapsu recti incarcerato.

ε. Ab acribus applicatis.

ζ. Ab acribus ingestis.

η. A fæcibus duris in recto accumulatis.

θ. A corporibus extraneis deglutitis et ad anum delatis, vel in anum intrusis, eumque stimulo suo mechanico vel chemico irritantibus.

ι. Ab metastasi varia.

Sp. 2. Proctalgia *Ulcerosa.*

Variat:

α. Ab apostemate rupto.

β. A viru syphilitico in ano vel recto.

γ. A viru herpetico.
δ. A rhagadibus ani.
ε. A condylomatibus.
ζ. Ab aphthis (præcipue infantum).

Sp. 3. Proctalgia *Carkinomatosa.*

Dolor pungens, lancinans, pruriens, cum tenesmo summe molesto, dyscoilia, excretione ichorosa fœtida, odoris peculiaris; maxime a rhagadibus, ulcere, condylomate, fungo in ano vel recto neglectis, aut male tractatis oriunda.

Sp. 4. Proctalgia *Intertrigo.*

Dolor, rubor, et excoriatio ani aut clunium, maxime infantibus, aut adultis pinguibus frequens.

Variat:

α. Ab equitatione aut ambulatione.
β. Ab herpete.
γ. A viru syphilitico.
δ. Ab immunditie vel ab acri applicato.
ε. Ab acri quocunque metastatice ad anum deposito.

Sp. 5. Proctalgia *Prolapsus.*
Vide *Prolapsus.*

Sp. 6. Proctalgia *Dysenterica.*
Vide *Dysenteria.*

Sp. 7. Proctalgia *Verminosa.*

Præcipue ab ascaridibus orta.

Sp. 8. Proctalgia *Hœmorrhoidalis.*

Ab hæmorrhoidum fluxu suppresso, aut a vasis hæmorrhoidalibus internis vel externis tumentibus orta.

G. CXXXIII. ÆDOIODYNIA.

A Gr. Αἰδοῖα, partes genitales, et ὀδύνη, dolor.

Dolor genitalium seu pudendorum, aut partium obscænarum utriusque sexus.

SYN. Pudendagra. *Torell.*
Mentulagra. *Hock.*

A. Pain of the genitals.
G. Douleur aux parties génitales.
Ge. Schmerzen an Geburtsgliedern.

Variat sede:

In fœminis:

1. In labiis vulvæ, vel in nymphis.
2. In clitoride, vel in urethra.
3. In vagina uteri.
4. In collo vel orificio uteri, aut in ipso utero.

5. In

5. In ovariis vel tubis Fallopii.
6. In inguine.

In viris :

1. In testiculis, vel in epididymide.
2. In funiculo spermatico.
3. In vesiculis seminalibus aut prostata.
4. In cole vel in urethra.
5. In scroto.
6. In inguine

I. Ædoiodynia idiopathica.

VARIAT pro causa remota :

α. A phlogosi.

β. A blennorrhagia.

γ. Ab ulcere syphilitico, herpetico, carkinomatoso, etc.

δ. A rhagade, condylomate etc.

ε. Ab hernia, vel prolapsu.

ζ. Ab ascaridibus ex recto in vaginam irrepentibus.

η. A morpionibus cutem pilosam genitalium pruritu molestissimo irritantibus.

θ. A testiculo in inguine hærente.

ι. A tumore glandularum inguinalium.

κ. A tumore vasorum hæmorrhoidalium cum genitalibus communicantium.

λ. A graviditate.

Vide etiam *Tumores.*

II. Ædoioodynia symptomatica.

Variat:

α. A metastasi febrili.
β. A parotitide retrocedente.
γ. Ab arthritide podagrica aut rheumatica vel erysipelate retrodentibus.
δ. A podagra aberrante.
ε. A metastasi syphilitica, herpetica, leprosa etc.

III. Ædoiodynia sympathica.

Dolor in inguine, aut in clune, sæpe per femur ejusdem lateris descendens; in viris præterea sæpe tumor, dolor et retractio testiculi in latere affecto; maxime a calculo in rene vel uretere oriundus.

G. CXXXIV. MASTODYNIA.

A Gr. Μαστὸς, mamma, et ὀδύνη, dolor.

Dolor mammæ unius vel utriusque.

Variat sede:

α. In tunica cellulosa, vel in cute mammæ.
β. In glandulis et vasis lacteis mammæ.
γ. In papilla mammæ.
δ. In membrana mucosa cutem mammæ tegente.

Vide etiam *Mastoncus*.

I. Idiopathica.

Sp. 1. Mastodynia *Phlegmonodes.*

Dolor, calor, et tumor renitens, cum tensione et rubore mammæ unius vel utriusque, sæpe etiam papillæ, frequenter cum febre junctus, et in apostema abiens.

Vide *Mastitis.*

Variat pro causa remota:

α. Ab ictu, contusione, vulnere, excoriatione.
β. A ligatura, aut pressione fortiori mammæ.
γ. A metastasi ex parotitide retrocedente.

Sp. 2. Mastodynia *Blennodes.*

Phlogosis membranæ mucosæ mammarum.

Vide *Erysipelas.*

Sp. 3. Mastodynia *Lactea.*

Phlogosis mammæ unius vel utriusque in puerperis vel nutricibus.

Variat

α. A lacte, post puerperium, in mammas irruente.
β. A lactis stagnatione aut decompositione in mammis.
γ. A lactis in puerpera vel nutrice abundantia, suctione infantis non ablata.

δ. A refrigerio mammæ post partum.
ε. A mala conformatione papillæ mammæ.
ζ. A ductibus lacteis mammillæ imperviis.
η. Ab ulcere papillæ ex saliva acri infantis, vel ex ulceribus syphiliticis in ore infantis.

Sp. 4. Mastodynia *Ulcerosa.*

Ex apostemate mammarum rupto, vel ex vitio scrofuloso glandulas mammæ afficiente orta.

Sp. 5. Mastodynia *Skirrhosa.*

Skirrhus mammæ. Vide *Skirrhus.*

Sp. 6. Mastodynia *Carkinomatosa.*

Carkinoma mammæ. Vide *carkinoma.*

II. Sympathica.

VARIAT:

α. A pubertate incipiente.
β. Ab ischomenia, dysmenia.
γ. A graviditate.
δ. A morbis uteri vel ovariorum.
ε. Ab animi pathematibus.
ζ. Ab hyperkinesia.
η. A saburra gastrica.

G. CXXXV. PLEURODYNIA.

A Gr. Πλευρά, membrana latera, et reliquum thoracis cavum internum cingens, et ὀδυνη, dolor.

Dolor lateris aut cujusvis partis thoracis, sub sterno, costis, vel sub vertebris dorsi.

I. Pleurodynia idiopathica.

Sp. 1. Pleurodynia *Inflammatoria.*

Vide *Pleuritis.*

Sp. 2. Pleurodynia *Sanguinea*, seu *Plethorica.*

Dolor lateris punctorius, vel lancinans cum dyspnœa, tussi, et quandoque sputis cruentis, sine febre primaria.

Variat:

α. A plethora generali.
β. Ab ischomenia vel a pausimenia.
γ. Ab hæmorrhoidum fluxu consueto suppresso.

Sp. 3. Pleurodynia *Rheumatica.*

Dolor lateris aut musculorum intercostalium acutus, cum dyspnœa, pressione externa auctus; quandoque sine febre, quandoque cum

rheumatopyra junctus, ex transpiratione frigore suppressa, aut ex haustu aquæ frigidæ, corpore æstuante, deglutito ortus.

Syn. Pleuritis notha. } *Auct.*
——— spuria. }

Sp. 4. Pleurodynia *Periodica.*

Regularibus temporis intervallis recurrens, cum vel sine symptomatibus dialeipyræ.

Sp. 5. Pleurodynia *Chronica.*

Dolor a prægressa inflammatione pleuræ remanens, cum tussi, dyspnœa.

II. Pleurodynia sympathica.

Variat:

α. A flatibus aut fæcibus in collo, præcipue in ejus curvaturis in alterutro hypochondrio sub diaphragmate coacervatis.

β. Verminosa.

γ. Saburralis.

δ. Ab inflammatione aliove vitio hepatis.

ε. A vitio lienis.

III. Pleurodynia symptomatica.

Variat:

α. Ab arthritide podagrica, vel rheumatica, aut erysipelate retrocedentibus.

β. Ab inflammationibus viscerum locum mutantibus.

γ. A morbis cutis chronicis: psora, herpete etc. retropulsis.

δ. Syphilitica: a viru syphilitico sternum, costas, claviculam occupante.

ε. Scorbutica.

ζ. Apostematica: ex abscessu sub costis, aut a vomica, vel empyemate pulmonum.

η. Ab anevrismate cordis, aortæ, arteriæ pulmonalis.

ϑ. Ab hydrope thoracis, pericardii, vel pulmonum.

ι. Ab ossium thoracis mollitie, incurvatione, depressione.

κ. A rupto œsophago. *Boërhave.*

N. B. Pleurodyne a spasmate, a *van Swieten* memorata, non est morbus pleuræ, sed *Spasmus* seu *Crampus* diaphragmatis, ab extensione, distorsione, aut nisu violento diaphragmatis, aliorumve thoracis musculorum ortus.

G. CXXXVI. NOTALGIA.

A Gr. Νῶτος, dorsum, et ἄλγος, dolor.

Dolor dorsi.

A. Pain in the back; Pain between the shoulders.

G. Douleur du dos.
Ge. Rückenschmerz.

Species et Varietates fere eædem sunt, ac Osphyalgiæ.

Vide etiam *Myodynia.*

G. CXXXVII. OSPHYALGIA.

Gr. Ὀσφυαλγία *Hipp.* ab ὀσφῦς, lumbus, et ἄλγος, dolor : Dolor lumborum.

Dolor in vertebris lumborum aut in osse sacro, obtusus, gravativus, constans, sed præcipue cum æger sedens sese erigere aut in lecto jacens situm corporis mutare tendit, violentus.

Syn. Lumbago. } *Auct.*
Lumbago chronica. }

A. Pain in the loins ; pain in the back.
G. Douleur dans les lombes; mal des reins.
Ge. Lendenschmerz ; Lendenweh.

A. Osphyalgia idiopathica.

Sp. 1. Osphyalgia *Inflammatoria.*

Syn. Inflammatio musculi psoas. *Fordyce.*
Vide *Osphytis.*

Sp. 2. Osphyalgia *Apostematosa.*

Syn. Lumbago psoadica.
——— apostematosa.
Arthropuosis. *C.*
Osphytis ulcerosa.
Vide *Osphytis.*

Sp. 3. Osphyalgia *Rheumatica.*

Dolor in regione lumborum, aut in osse sacro, ad nisum motus levissimum auctus; inquies perpetua, et quivis situs, longiori tempore continuatus, incommodus; dolor sæpe lenissima pressione, aut ligatura, vel simplici pondere vestimentorum intolerabilis; quandoque ægro quiete in lecto jacente nullus, sed ex quovis conatu situm mutandi exacerbans, et ad tussim aut sternutationem acutissimus. In multis casibus tumor in quadam ossis sacri parte percipitur et quantitas acidi urici rubri cum urina, copia solito majori, durante morbo excernitur. Morbus præprimis adultis a vigesimo quinto ad quinquagesimum ætatis annum infestus.

Sp. 4. Osphyalgia *Podagrica.*

Symptomata speciei præcedentis in subjecto podagrico.

Sp. 5. Osphyalgia *Scorbutica.*

Sp. 6. Osphyalgia *Syphilitica.*

Sp. 7. Osphyalgia *Scrofulosa.*

Sp. 8. Osphyalgia ***Plethorica**, s. sanguinea.*

VARIAT:

α. Ab ischomenia aut dysmenia.
β. A pausimenia.
γ. Ab hæmorrhoidum fluxu suppresso.
δ. A lochiorum suppressione.
ε. A graviditate.
ζ. Ab anevrismate arteriæ iliacæ internæ.

Sp. 9. Osphyalgia *ab infarctu pituitoso vasorum.*

Sp. 10. Osphalgia *Traumatica.*

VARIAT:

α. A vulnere, contusione, ictu, lapsu, distorsione etc.
β. A nisu violento.
γ. A partu.
δ. A labore immodico, aut exercitio violento pede vel equo.
ε. A fractura, luxatione, carie ossium.
ζ. A sanguine intra musculos effuso. *Bagliv.* et *Ballon.*

η. Ab anevrismate cariem vertebrarum inducente.

B. Osphyalgia sympathica.

Variat:

α. A saburra primarum viarum.
β. A vermibus intestinorum, præcipue recti.
γ. A castitate. (*)
δ. A nimia venere, anaphlasi, aselgotripsia.
ε. A calculo aliove vitio renum vel vesicæ.
ζ. A dysodontiasi infantum.

C. Osphyalgia symptomatica.

α. Metastatica:

1. A podagra retrocedente.
2. A galactoplania.
3. A morbis cutis suppressis.
4. A sudore locali siccato.
5. A metastasi febrili.
6. Ab ulcere aut fistula præpostere siccata.

(*) Huc forsan referri potest casus ægri, qui osphyalgia dirissima fistulosa, ex inflammatione et apostemate musculi psoæ prægressa, afflictus simul stenosi urethræ laborabat, seminis ejaculationem impediente; unde singula vice, qua pollutionem in somnio patiebatur, semen versus interiora regurgitare coactum, accessum osphyalgiæ atrocissimæ inducebat, ita ut castrationem iterum iterumque efflagitaret.

β. Exanthematica.

A variolæ, rubeolæ etc. eruptione impedita.

γ. Periodica.

δ. Ab evacuationibus profusis:

1. A hæmorrhagia uteri.
2. Ab hæmorrhoidum fluxu nimio.
3. A blennorrhœa uterina.

ε. A tumore renum, uteri vel ovariorum.

ζ. A graviditate ultimis mensibus.

G. CXXXVIII. ISCHIALGIA.

Gr. Ἰσχιὰς, ab Ἰσχίον, coxa, articulatio femoris, et Ἄλγος, dolor.

Dolor in coxa, aut articulatione femoris cum osse ischii; vel etiam in fascia lata, aut in nervo ischiadico, cum difficultate standi aut progrediendi, ac claudicatione.

SYN. Ischias.
Ischiagra.
Morbus ischiadicus.
Dolor ischiadicus. } *Auct.*
Morbus coxarius. *De Haen.*
Sciatica. *L.*
Rheumatismus. *Cull.*

A. Sciatica; Pain in the Hip; Hip-gout.
G. La sciatique; goutte sciatique.
Ge. Hüftweh; Hüftschmerz.

Variat sede:

1. In articulatione coxæ, in ligamento capsulari, aut in ligamento tereti, vel in glandula acetabuli.
2. In fascia lata, musculos femoris tegente.
3. In membrana fibrosa nervum ischiadicum investiente.

Sp. 1. Ischias *Inflammatoria.*

Dolor constans, obtusus in coxendice; quandoque, præprimis initio morbi, potissimum in genu, et maxime de die perceptus; ingressus difficilis, claudicatio. Ægro in lecto supino decumbente pes lateris affecti brevior; quandoque tumor evidens ad articulationem coxæ, ac dolor pressione auctus; membrum plerumque atrophicum. Phlogosis sæpe in apostema et in cariem abiens.

VARIAT pro causa remota:

α. A vulnere, lapsu, ictu, distorsione, luxatione, subluxatione, fractura coxendicis.
β. A laceratione aut ruptura ligamenti capsularis, vel ligamenti teretis.

γ. A lapsu violento in genua, aut contusione quacunque vehementiori glandularum synovialium in cavitate acetabuli.

δ. Ab arthritide podagrica vel rheumatica.

ε. A metastasi febrili.

ζ. A galactoplania.

Sp. 2. Ischias *Apostematosa*.

VARIAT fere ut *Osphytis*.

α. A phlogosi prægressa.

β. A galactoplania.

γ. A metastasi febrili.

Sp. 3. Ischias *Nervosa*, seu *Rheumatica*.

Dolor, præcipue ad nisum movendi, violentus in coxa, indeque sæpe iter nervi ischiadici juxta partem externam femoris ad genu, et ex hoc ad malleolum usque sequens, ingressum et motum membri impediens; plerumque evidenter a refrigerio, præcipue ex cursu aëris frigidi, sicci aut humidi, super latus affectum ortus.

Vide COTTUNNI de *Ischiade nervosa. Neapoli.* Confer etiam *Osphyalgia.*

Huc etiam pertinere videntur:

KEDMATA (Κεδματα *Hipp.*) seu dolores chro-

nici in articulis, præcipue in coxendice, ex defluxione, orti.

Variat fere ut *Osphyalgia.*

G. CXXXIX. MYODYNIA.

A Gr. Μῦς, musculus, et ὀδύνη, dolor: Dolor musculorum.

Dolor musculorum extremitatum superiorum vel inferiorum, colli, thoracis, dorsi aut lumborum, motum partis affectæ plus minusve impediens, et ex attempto nisu partem affectam movendi dolor violentus, imo atrocissimus; plerumque a causa externa evidente ortus, sine pyrexia primaria.

Syn. Rheumatismus chronicus. } *Auct.*
Dolor rheumaticus.

A. Rheumatism; Rheumatic pains.

G. Rhumatisme; douleurs rhumatismales. Fourbure; courbature; torticolis.

Ge. Rheumatismus; Rheumatische Schmerzen.

I. Myodynia idiopathica.

Sp. 1. Myodynia *Inflammatoria.*
Vide *Arthritis* (seu *Myonitis*).

Sp. 2. Myodynia *Apostematosa.*
Vide *Osphytis.*

Sp. 3. Myodynia *Traumatica.*

A vulnere, contusione, aut distorsione, vel ab exercitio aut labore violento orta.

Sp. 4. Myodynia *Scorbutica.*

Syn. Rheumatismus scorbuticus. *Fr. Hoffm.* et *Lind.*

A degeneratione substantiæ musculi, vel a consumptione partis fibrosæ sanguinis orta.

Sp. 5. Myodynia *Spastica.*

A spasmo, seu crampo, aut a convulsione violenta prægressa orta.

II. Myodynia symptomatica.

Variat :

α. Febrilis ; præcipue a dialeypyra, septorrhepyra, vel cholepyra.
β. Atrabiliaris.
γ. Dysenterica.
δ. Exanthematica : variolosa, rubeolosa, scarlatinosa.
ε. A morbis cutis chronicis suppressis.
ζ. Ab ulcere aut sudore incaute siccatis.

η. A

η. A galactoplania.
ϑ. A saburra gastrica; vermibus.
ι. A syphylitide.
κ. A carkinomate.
λ. A venenis assumptis.

G. CXL. ARTHRODYNIA.

A Gr. Ἄρθρον, articulus, seu artus, et ὀδύνη, dolor: Dolor artuum vel articulationum.

Dolor artuum tensivus, lancinans aut terebrans, fixus et constans, vel per intervalla revertens; præcipue membranas, nervos, tendines, et ligamenta articulationum variarum corporis infestans, sine pyrexia primaria; sæpe immobilitatem, rigiditatem, vel etiam contracturam membrorum inducens. Morbus quandoque solum de die, quandoque noctu præcipue excrucians.

I. Arthrodynia Idiopathica.

Sp. 1. Arthrodynia *Inflammatoria*.
Vide *Arthritis*, et *Osphytis*.

Sp. 2. Arthrodynia *Podagrica*.

Morbus sæpe hæreditarius, sæpe etiam vita

lauta, otiosa, ingluvie, ebrietate, aut veneris excessu acquisitus.

Vide Cl. V. *Càchexiæ*, g. *Podagra.*

SYN. Podagra. } *Auct.*
Dolor podagricus. }
Podalgia. *Dioscorid.*

A. The Gout.
G. La goutte; douleurs goutteuses.
Ge. Das Podagra; Gichtschmerzen.

Sp. 3. Arthrodynia *Rheumatica.*

A sudore aut transpiratione refrigerio, præcipue æstuante corpore, suppressa, orta.

Vide etiam *Osphyalgia* et *Ischialgia.*

Sp. 4. Arthrodynia *Ulcerosa.*

SYN. Arthrocace. } *Auct.*
Pædarthrocace. }
Spina ventosa. }

VARIAT pro causa remota :

α. Ab apostemate rupto.
β. A metastasi febrili, lactea, purulenta etc.
γ. A vitio scrofuloso.
δ. Ab osteomalakia (Rhachitide).

II. Arthrodynia Symptomatica.

Variat:

α. Arthrodynia *Scrofulosa.*

β. Arthrodynia *Syphilitica.*

γ. Arthrodynia *Scorbutica.*

δ. Arthrodynia *Metastatica:*

1. A metastasi febrili.
2. A galactoplania.
3. Ab erysipelate retrocedente.
4. Ab ulceribus aut fonticulis siccatis.
5. A morbis cutis suppressis.
6. Ab ulcere aut sudore consueto siccato.
7. A menstruis aut hæmorrhoidibus suppressis.

G. CXLI. OSTEODYNIA.

A Gr. Ὀστέον, os, et ὀδύνη, dolor.

Dolor ossium.

Variat sede:

1. In periosteo.
2. In lamellis ossium.
3. In substantia interna medullari seu cellulari ossium.

Species et Varietates fere eædem sunt, ac Arthrodyniæ et Osphyalgiæ.

1. Inflammatoria.

2. Apostematosa.
3. Rheumatica.
4. Podagrica.
5. Syphilitica.
6. Scrofulosa.
7. Scorbutica.
8. Rhachititica.
9. Steatomatosa.
10. Carkinomatosa.
11. Traumatica.

Ad ordinem Algematum quodammodo etiam referri possunt:

Tenesmus. Vide *Proctalgia.*

Dysenteria. Vide *Phlegmasiæ Blennodes.*

Dysuria. Vide *Dyseccrises.*

Dystokia. Vide *Dysgennesiæ.*

CL. III. O. IV. DYSKINESIAE.

Gr. Δυσκινησίαι, a δυς, male, et κίνησις motus seu habitus immutatio in loco aut in qualitate.

CHARACTER. Motus musculorum, aut sensationes nervorum; vel functiones organorum turbatæ aut impeditæ.

Genera ad hunc ordinem spectantia sunt:

GENUS	I.	HYPERERETHISIA.
	II.	HYPERÆSTHESIA.
	III.	HYPERKINESIA.
	IV.	AGRYPNIA.
	V.	RHEMBASMUS.
	VI.	CATALEPSIS.
	VII.	ILINGUS.
	VIII.	TROMUS.
	IX.	CARDIOPALMUS.
	X.	TUSSIS, *s.* BEXIS.
	XI.	PERTUSSIS.

XII. DYSPNŒA.

XIII. ASTHMA.

XIV. PNIGALION.

XV. PNIGOPHOBIA.

XVI. HYDROPHOBIA.

XVII. DYSCATAPOSIA.

XVIII. DYSPEPSIA.

XIX. AVANTE.

XX. DIABETES.

CL. III. O. IV. DYSKINESIAE.

G. CXLII. HYPERERETHISIA.

Gr. Ὑπερερεθισία, ab Ὑπὲρ, nimium, et ἐρέθισις irritabilitas, aut ἐρεθισμὸς, irritatio: Irritabilitas fibrarum muscularium nimia.

Fibrarum muscularium promptitudo ad motum justo major; seu contractiones musculorum ab applicato stimulo ordinario et consueto, vel a stimulo solito leviore, abnormes.

Variat pro causa remota:

α. Ab absentia aut defectu stimulorum consuetorum per aliquot tempus; unde dein a stimulis ordinariis applicatis insolitus effectus.

β. A teneritudine fibrarum muscularium insolita, connata vel acquisita.

γ. A tensione fibrarum muscularium majori.

δ. A stimulis inconsuetis aut solito fortioribus per breve tempus applicatis. (Si diutius, irritabilitatem exhauriunt).

ε. Ab hyperæsthesia febrili vel chronica.

ζ. Ab intensa applicatione imaginationis, aut sensuum externorum; vel ab animi pathematibus vehementibus. (Stimuli morales sæpe eundem in corpore humano effectum producunt, ac stimuli materiales).

η. A plethora.

ϑ. A qualitate sanguinis chemica, magis irritante.

ι. A cibo aut potu insolite stimulante.

κ. A calore aut frigore intensiore per paucum tempus applicato. (Calor æque ac frigus intensa, omniaque alia quæ externe in corpus agunt, diutius applicata irritabilitatem exhauriunt et anerethisiam potius inducunt).

OBSERVATIONES GENERALES.

Contractilitas elastica fibrarum primitivarum corporis, ut supra monuimus, essentialiter differt a contractilitate irritabilitatis fibrarum muscularium. Prior est vis passiva, etiam post mortem durans, usque dum corpus in elementa sua decomponi seu putrescere incipit; posterior est vis activa fibræ musculari inhærens brevi tempore post mortem periens. Contractio elastica fibrarum et vasorum nunquam est subita, sed lenta, et extensione cessante, limites or-

dinarias nunquam excedens; contractio autem fibrarum motricium ab irritabilitate dependens subita est et instantanea.

Irritabilitas fibris motricibus insita, hisce facultatem impertit, sese sine vi externa præcedente, sponte et ultra medietatem suæ diametri normalis et ordinarii contrahendi, quæ facultas contractilitati elasticæ vasorum aut membranarum, ligamentorum, tendinumve nullo modo competit. Vasa, sola sua contractilitate elastica agentia, incapacia sunt sese ad medietatem diametri, quam in summo gradu distensionis suæ acquisiverunt, contrahendi. Vis irritabilitatis præterea opio aliisve narcoticis diminui, imo complete supprimi potest, dum contractilitas elastica ex iisdem nullo modo afficitur.

Unde irritabilitas dependeat, nos adhuc latet. Hypererethisia plerumque cum hyperæsthesia juncta observatur; non raro tamen motus irritativi violenti in corpore adsunt, sine sensibilitate aucta; et vice versa violentissimus dolor quandoque locum habet sine augmento irritabilitatis. Irritabilitatem sæpe complete abolitam observamus in paralysi, remanente sensibilitate integra.

Hypererethisia æque ac Hyperæsthesia in corpore sæpe adsunt cum cohæsione laxa et

debili aut cum magna teneritudine fibrarum primitivarum corporis, ut in infantibus, fœminis delicatulis, et adolescentibus molliter educatis quotidie observamus.

Causa irritationem in musculis, vasis, ac organis secretoriis producens, Stimulus, seu rectius IRRITAMENTUM, appellatur. Irritamenta consueta motum in musculis et vasis excitantia, sine ulla sensatione agunt; sed irritamenta fortiora applicata simul etiam sensationem producunt. Quædam organa magis irritabilia sunt quam alia. Cor est pars corporis maxime irritabilis, dein ventriculus et intestina, et tandem aliæ partes. Quandoque organa, stimulo irritata, alia organa non irritata, sed cum prioribus per nervos juncta, in contractionem cient.

Effectus hypererethisiæ sese manifestant, fortioribus, vel frequentioribus contractionibus fibrarum motricium, qui motus, si in musculis voluntariis invite contingunt, Spasmi appellantur. In actione fortiori aut frequentiori cordis et systematis vasorum arteriosorum, circulatio sanguinis et humorum in variis organis corporis augetur, secretiones et excretiones copiosiores fiunt, et functiones omnes corporis majori vigore exercentur; unde pulsus, respiratio, digestio ac functiones sen-

suum externorum et internorum accelerantur, sed eodem tempore etiam in genere multo minus regulares sunt quam in statu normali. Quo vehementior hæc irritatio est, eo citius et eo certius exhaustio irritabilitatis, seu Anerethisia sequitur, ut in multis morbis quotidie observamus.

G. CXLIII. HYPERÆSTHESIA.

A Gr. Ὑπεραισθησία, ab ὑπὲρ, nimium, et αἴσθησις, sensibilitas: Sensibilitas nervorum et sensorii communis nimia.

Mutationum in sensibus externis, in sensorio communi, aut in nervis per corpus distributis excitatio justo major aut facilior a stimulo solito applicato; vel actionum in systemate nervoso generatio a stimulo solito leviore applicato (*).

In Hyperæsthesia attentio ægri constans et exclusive ad partem affectam directa est; sæpe

(*) Hyperæsthesia sæpe adest sine hypererethisia; in multis tamen casibus ambæ simul existunt; unde circulatio sanguinis non solum, sed et secretiones et excretiones variæ augentur, et in musculis voluntariis non raro convulsiones oriuntur. Vide *Hyperkinesia.*

simul imaginationis, memoriæ, aliarumque facultatum intellectualium exaltatio, seu energia, sensationes erroneæ, agrypnia, vel somnus inquietus, somniis turbatus observantur: Quandoque etiam cnesmus in parte affecta oritur ad frictionem alliciens, vel si sensibilitas major est, tactûs intolerantia, imo metus ne tangatur; unde jactitatio corporis constans, aut desiderium situm ejus frequenter mutandi. Remittente vel exhausta sensibilitate, pro gradu hyperæsthesiæ prægressæ, sequitur lassitudo, languor, anæsthesia, anerethisia, pulsus debilis, syncope, stupor, vel etiam ex dolore violento prægresso, paralysis.

Modificationes sensationum ingratarum abnormium sunt: Sensatio pressionis, gravitatis, cnesmi, ardoris, tensionis, tractionis, rosionis, aut doloris varii.

Variat pro causa remota:

α. A structura nervorum peculiari, connata vel hæreditaria.

β. Ab educatione molli, effœminata.

γ. A vita otiosa, lectura habituali librorum phantasticorum.

δ. A stimulo solito fortiore applicato.

ε. Ab hypererethisia febrili vel chronica.

ζ. A circulatione sanguinis aucta.

η. A functionibus variis corporis ex quacunque causa acceleratis.

ϑ. A morbis gravibus, acutis vel chronicis, prægressis.

G. CXLIV. HYPERKINESIA.

Gr. Ὑπερκινησία, ab ὑπὲρ, nimium, et κίνησις, mobilitas: Mobilitas, seu exactius Incitabilitas nimia (*).

Sensibilitas nervorum et sensorii communis, æque ac irritabilitas musculorum nimia, id est, hyperæsthesia cum hypererethisia juncta. Sensationes et motus, vel functiones organorum ac viscerum variorum corporis abnormes, turbatæ, modo nunquam constante, sed

(*) Incitabilitatem nimiam adesse dicimus, dum sensationes et motus in corpore excitantur a stimulo justo leviore; vel dum sensationes et motus abnormes cientur a stimulo solito applicato. Hæc facilitas seu promptitudo abnormis fibræ muscularis ad contractionem probe distinguenda est a vigore, seu vi solito majore, qua actio aut contractio musculorum perficitur, quamvis hæc vitia nonnunquam conjuncta, sæpius tamen adversa sunt, et contrarias causas agnoscunt. — Confer, quæ supra in introductione ad hanc classem notavi.

indies variante; mens mire mutabilis nunc summe læta, mox gravi tristitia obruta, ad iram proclivis, simulque ad minimas in corpore mutationes attenta; metus constans periculi, suffocationis, paralysis, apoplexiæ, mortis; vertigo; tinnitus aurium; leipothymia; insignis et peculiaris animi dejectio; repentini terrores; subitanei calores sudoresque; oscitatio frequens; anxietas, inquies, oppressio; palpitatio cordis vel arteriæ cœliacæ insolita; modo spasmi aut convulsiones, modo dolores violenti, nunc hanc, nunc aliam corporis partem afficientes, sine ulla causa apparente subito disparentes vel redeuntes; frigus extremitatum, præcipue pedum, fere constans, dum eodem tempore partes internæ aut facies sæpe calore intenso uruntur. Morbus utplurimum subito et inopinate post intervalla irregularia, longiora vel breviora, maxime ex animi pathematibus prægressis revertens, symptomatibus numerosissimis, levioribus vel gravioribus, stipatus.

Syn. Mobilitas nervosa nimia. *Auct.*
Ataxia spirituum. *Marcard.*
Hypochondriasis. } *Auct.* (*).
Hysteria }
Hyperæsthesia. *Ploucq.*
Coinæsthesis morbosa. *Reil.*

Variat sede :

A. Hyperkinesia generalis.

B. Hyperkinesia topica.

I. Hyperkinesia *Cerebralis.*

A nimia sensorii communis incitabilitate dependens.

II. Hyperkinesia *Gastrica.*

A ventriculo aut intestinis primario affectis.

(*) Nomen *Hysteriæ* (a Gr. ὑστερα, uterus), hinc affectionem uteri denotans, a *Sauvages* et *Cullen* aliisve male pro genere assumptum fuit; quum morbus hic sæpe ab aliis plane causis, quam ab affectione uteri aut ovariorum dependeat; præterea improprium et absurdum hoc nomen non raro est, cum morbo de quo hic agitur viros æque ac fœminas laborare observamus. Nomen *Hypochondriasis* æque vagum et improprium mihi esse videtur; hinc novum genus, sub nomine Hyperkinesiæ condidi, characterem morbi recte exprimens : Si aliis nomen *Nevroataxiæ* magis arridet, nihil moror.

Symptomata hyperkinesiæ cum spasmodica ventriculi et intestinorum affectione; inflatio ventriculi; ructus, pneumatosis, tormina; subinde vomitus materiæ viridis, acidissimæ; vertigo; leipothymia; anxietas; metus suffocationis, apoplexiæ, aliorumve morborum aut mortis; languor et torpor generalis; pulsus summe variabilis, quandoque frequens, contractus, intermittens; mirabilis ad vicissitudines electricitatis aëreæ et subterraneæ sensibilitas, unde, pro diversitate tempestatis, insolita hilaritas, vel tristitia.

Syn. Morbus hypochondriacus.
Malum hypochondriacum.
Hypochondriasis sine materia.
——— cum materia. } *Auct.*
Hypochondriasis. *S. V. L. Cullen.*

III. Hyperkinesia *Hysterica*, (s. *Uterina.*)

Ab utero aut ovariis primario affectis dependens.

Prægressa utplurimum sensatione molesta in hypogastrio, ac tumore et motu uteri abnormi, sensatio quasi globi ex abdomine in epigastrium et ex hoc ad collum usque ascendentis, sæpe cum tumore ejusdem insigni, strangulationem seu suffocationem minitante;

te; quandoque inanis vomendi conatus, aut vomitus, ructus, borborygmi; oscitatio frequens; stupor dentium; ptyalismus, aut gravitas capitis, vel dolor in quadam cranii parte quasi a clavo infixo, non raro cum sensu frigoris quasi a frusto glaciei applicato; quandoque dolores musculorum abdominalium aut thoracis, attactum non ferentes; vel dolores artuum instar rheumaticorum; nunc dolor uteri, renum vel lumborum, nunc dolor vesicæ immanis cum mictu difficili, calculum vesicæ mentiens; debilitas peculiaris in genubus et frigus extremitatum; sæpe palpitatio cordis, vel arteriæ cœliacæ in epigastrio, vehemens; nunc spasmi aut convulsiones musculorum variorum corporis violentæ; nunc syncope vera vel apparens, organo auditus interea æque ac tactus perfecte libero; quandoque lacrymarum profusio, mox insequente risu immodico: Plerumque, maxime versus finem paroxysmi, urinæ instar aquæ limpidæ profusio, vel ructus, borborygmi, quandoque etiam excretio humoris mucosi ex genitalibus. — Metus periculi et mortis vehemens, in et extra paroxysmum constans; quandoque apnœasphyxia per horas, imo et per dies durans; quandoque paroxysmus revera in paralysin, aut in apoplexiam vel in mortem abiens. — Morbus

per intervalla irregularia, plerumque subito et inopinate invadens, et fœminis, maxime viduis, a decimo septimo ad quadragesimum ætatis annum, infestus.

SYN. Πνιξ ὑσερικὴ. *Græc.*

Suffocatio uteri.
Strangulatio vulvæ.
——— hysterica.
Morbus hystericus.
Malum hystericum.
Affectio seu passio hysterica.
} *Auct.*

Asthma uteri. *Van Helmont.*
Hysteria. *S. Cull. V.*

Sp. 1. Hyperkinesia *Repletionis.*

Symptomata hyperkinesiæ in sanguineis, robustis utriusque sexus.

SYN. Hyperkinesia sthenica.

VARIAT pro causa remota:

α. A plethora generali.
β. Ab infarctu vasorum uteri, vel ovariorum.
γ. Ab infarctu vasorum hæmorrhoidalium.
δ. Ab ischomenia aut dysmenia.
ε. Ab evacuationibus sanguinis consuetis retentis, aut suppressis.
ζ. A vita lauta, otiosa, sedenteria.

Sp. 2. Hyperkinesia *Inanitionis.*

Symptomata hyperkinesiæ in teneris, laxis, aut delicatulis, pallidis, debilibus, exhaustis.

Syn. Hyperkinesia Asthenica.

Variat pro causa remota:

α. Ab evacuationibus sanguineis, vel mucosis nimiis.

β. Ab evolutione corporis subita.

γ. A morbis longis vel gravibus prægressis.

δ. A venere nimia, anaphlasi, aselgotripsia.

ε. A jejuniis severis.

ζ. A diæta ex viscidis, crudis, glutinosis, indigestibilibus.

η. A laxo, atonico corporis habitu, hæreditario vel acquisito.

θ. Ab asthenia generali, vel topica ventriculi, intestinorum, uteri etc.

ι. A studiis, aut mentis applicatione intensa.

κ. A vigiliis nimiis.

λ. A debilitate subito inducta ex frigore, aut humiditate aëris.

Sp. 3. Hyperkinesia *Irritationis.*

Syn. Hyperkinesia erethistica.

Variat pro causa remota:

α. A castitate, præcipue a retentione seminis, aut a privatione coitus antea consueti.

β. A venere immodica, aselgotripsia, anaphlasi.

γ. Ab animi pathematibus, aut perturbationibus mentis, præcipue subitis, gravibus: amore, ira, odio inter se fluctuantibus; a desiderio rei amatæ, aut ab amore secreto vel deluso; a terrore, ira, gaudio, metu, mœrore, anxietate.

δ. Ab imaginatione viva, ex conspectu ægri sub convulsione.

ε. Ab organis sensuum valide affectis: luce violenta, sono acuto, odore ingrato, visu vulnerum, ulcerum, sanguinis, aliorumve objectorum ingratorum, vel auditu horridorum, ingratorum.

ζ. A musica vocali vel instrumentali (*).

η. Ab effluviis, aut aëre vitiato plurium hominum, præcipue in cubili arcte clauso, aut in locis non satis ventilatis, degentium.

θ. Ab effluviis, aut odoribus ingratis peculiaribus quorumdam hominum, animalium, vel plantarum.

ι. A mutationibus subitis status corporis, ex

(*) Plures ægros tractavi qui ab exertione majori in cantu, sed maxime in pulsando digitis instrumentum, *Harmonica* dictum, per plures menses hyperkinesiæ symptomatibus pessime laborarunt, ita ut tandem valedicere musicæ cogerentur.

victu tenui et exercitiis validis in vitam lautam, otiosam, et vice versa.

κ. Ab irritamentis variis canalis alimentaris:

1. Ex saburra acri, acida.
2. Ex pituita viscida; vermibus.
3. Ex flatibus.
4. Ex alimentis aut potulentis, copia vel qualitate peccantibus.
5. Ex dulcibus, mellitis etc., in acidum abeuntibus.
6. Ex abusu potuum tepidorum.
7. Ex spirituosorum abusu.

λ. Ab emphraxi vasorum vel viscerum abdominalium.

μ. A Cholelithiasi, vel urolithiasi.

ν. A vitiis hepatis, splenis, pancreatis, omenti, mesenterii, renum.

ξ. A podagra aberrante.

ο. A bile acri, flava aut nigra.

π. A psora, herpete, sudore topico, fonticulis, ulceribus suppressis vel incaute siccatis.

ρ. Ab hyperæsthesia generali, vel topica; hæreditaria vel acquisita.

σ. Ab infarctu aut irritatione ovariorum.

τ. A vitiis uteri: infarctu, abscessu, vermibus etc. in cavo uteri.

υ. A mutationibus, præcipue subitis, electricitatis aëreæ vel subterraneæ.

φ. A tumoribus nervos vel icantibus.

Sp. 4. Hyperkinesia *Febrilis.*

Symptomata hyperkinesiæ, præcipue hyperæsthesiæ, seu vivacitas et sensibilitas exquisita cum pulsu celeri, debili, aut febricula chronica continua, per septimanas aut etiam menses durante, ex quavis levissima causa multum aucta (Vide *Nevropyra*). Inquies, pervigilium; tandem emaciatio corporis, sensatio æstus seu caloris urentis in tota superficie corporis summe ingrata. Morbus præcipue fœminis post puerperium, ex frigore, aut ex transpiratione suppressa, subinde etiam viris hypochondriacis infestus, quandoque cum judicii vel imaginationis affectione morbosa.

Sp. 5. Hyperkinesia *Complicata.*

α. Cum sthenopyra, aut asthenopyra.

β. Cum dyspepsia, aut asthenia ventriculi et intestinorum.

γ. Cum saburra gastrica, vermibus etc.

δ. Cum emphraxi vasorum vel viscerum abdominalium.

ε. Cum vitio uteri vel ovariorum topico.

ζ. Cum affectione renum, vesicæ; urolithiasi.

η. Cum cholelithiasi.

θ. Cum rhembasmo, aut catalepsi.

G. CXLV. AGRYPNIA.

Gr. Ἀγρυπνία, ab α neg. et ὕπνος, somnus: Defectus somni.

Pervigilium, seu vigilia abnormis.

Syn. Vigiliæ immodicæ.
Vigilium morbosum. } *Auct.*

A. Want of sleep; intense watching.
G. Insomnie; défaut de sommeil.
Ge. Mangel an Schlaf; Schlaflosigkeit.

Sp. 1. Agrypnia *Idiopathica.*

Variat pro causa remota:

α. Ab inflammatione aut irritatione cerebri insolita.
β. A congestione sanguinis ad caput.
γ. A kephalalgia, otalgia, odontalgia etc.
δ. A nimia mentis intensione, studiis.
ε. Ab animi pathematibus, lætis vel ingratis, vehementioribus: amore, gaudio, ira, zelotypia, metu, mœrore.
ζ. A stimulo mechanico vel chemico capiti applicato.
η. A senio (Senilis).
ϑ. A potu coffeæ, theæ, aut spirituosis irritantibus noctu assumptis.

ι. A somno longiore, præcipue de die, prægresso.

κ. A desiderio vehementiore dormiendi, seu anxietate somnum capiendi.

λ. A fluidi nervei secretione aucta aut ab accumulatione ejusdem in cerebro : ex spirituosis, Thea, coffea aliisve infusis aromaticis, vel opio etc. assumptis.

μ. A viru syphilitico ossa cranii irritante.

ν. A podagra, erysipelate etc. retrocedente, et ad caput delato.

Sp. 2. Agrypnia *Symptomatica.*

Variat :

α. A febre (febrilis).

β. A dolore aut irritatione insolita sensuum externorum.

γ. Ab hyperkinesia, mania etc.

δ. A vitio gastrico : ingluvie, flatibus, saburra, vermibus, dyspepsia.

ε. A defectu stimuli consueti in ventriculo : ex defectu nutrimenti necessarii, vel ex defectu solidorum, aut liquidorum, solito pro cœna assumptorum.

ζ. A cnesmo : ex acribus aut ab insectis variis cutem irritantibus.

η. A viscere quodam peculiariter affecto.

ϑ. A dolore quocunque vehementiori.

ι. A dysphoria generali, calore nimio, frigore pedum.

κ. A defectu exercitii corporis consueti.

G. CXLVI. RHEMBASMUS.

Gr. Ῥεμβασμὸς, seu Κενοσπουδία, studium inane.

Mentis exertio inanis seu occupatio ejusdem vaga, erratica et incerta.

Mens nonnisi unico objecto reali vel imaginario fortiter intenta, cæterum nullius rei, nec temporis, nec loci, nec existentiæ sui ipsius conscia; sensuum externorum omnium ad stimulos externos consuetos insensibilitas perfecta, actione eorum, quatenus a voluntate dependet, remanente libera; volitionis ac musculorum a voluntate dependentium exercitium activum liberum; reliquis sensorii communis functionibus perfecte quiescentibus aut suspensis, sed functionibus vitalibus integris. — Morbus de die vel noctu, accessionibus longioribus vel breviorbus, quandoque periodis regularibus, invadens.

SYN. Somnambulismus *S.* et *Auct.* (*).
Noctambulatio *Junck.*
Hypnobatasis *V.*
Oneirodynia activa. *Cull.*

A. Reverie, sleepwalking.
G. Somnambulisme; Rêverie.
Ge. Nachtwandeln.

Rhembasmus est morbus per intervalla irregularia, longiora vel breviora invadens,

---

(*) Nomen *Somnambulismi, Hypnobatasis* aut *Noctambulismi* a modernis inventum morbo, de quo hic sermo est, minime convenit, utpote cujus character cum somnio aut somno nihil commune habet. Nomen *Oneirodyniæ* a Cullen adoptatum adhuc magis improprium est, quum vox Ὀνειρώττειν græc. simpliciter somniare significat, et idem auctor incubum seu ephialten cum rhembasmo male confundit, hinc morbum hunc rectius sub nomine *Rhembasmi*, aut si mavis *Kenospudiæ*, in systema nosologiæ suscipiendum esse judicavi. Differt autem Rhembasmus essentialiter a *somno*, quod in Rhembasmo exercitium voluntatis activum non solum, sed et actio musculorum et organorum, quatenus a voluntate dependent, libere continuant, dum Somnus quiete aut suspensione perfecta motuum voluntariorum ac sensuum internorum et externorum stipatur; differt æque a *Somnio*, in quo suspensio sensuum externorum ac motuum voluntariorum locum habet, superstite una alterave actione sensorii communis, unde ideæ cum debili conscientia hujus actionis junctæ sunt.

accessionibus diurnis vel nocturnis, longiore aut breviore temporis spatio durantibus : ægri hoc morbo laborantes durante accessione inattenti sunt ad objecta externa, et sensus auditus perfecte quiescit, unde dormire creduntur; dum simul musculi voluntati obediunt et visus nonnisi ab uno objecto affici videtur; nam ægri ambulantes evitant omnia objecta, quæ illis directe opposita in via occurrunt, minime de aliis omnibus solliciti.

Exemplum memorabile hujus morbi, multis ab hinc annis vidi in Nosocomio practico Viennensi in viro 36 annorum Cel. De Haen in Nosocomio consulente. Æger vitam sedentariam agens tota fere die scribendo occupatus a biennio circiter hoc morbo laborans, intervallis incertis eo semper inopinate correptus, sese subito levabat (ut ab aliis in eodem cubili occupatis didicit) pileum suum capiti imponens et baculum manu prehendens, e cubili egrediens, in plateis urbis variis per quadrantem, quandoque per mediam horam oberrans, durante quo tempore currus, equos, et homines numerosos, objectaque alia sedulo evitabat, tandem in portam aut murum domus cujusvis accidentaliter impingens ad se rediit mente confusus, sed nullius rei mox gestæ conscius; mox ad locum et

occupationes suas solitas revertens. A medicamentis ei præscriptis nullum levamen observavi; nam methodus hunc morbum largis dosibus opii debellandi hoc tempore nondum cognita fuit. Exemplum aliud Rhembasmi in fœmina 25 annorum, pallida, debili, hyperkinesia hysterica frequenter laborante, observavi a priori in eo differens, quod Rhembasmus diurnus vel nocturnus cum convulsionibus violentis aut syncope alternaret, et ægra paroxysmo Rhembasmi correpta, auditu et visu, etsi oculis apertis, ad stimulos externos insensilibus, caneret, poësias recitaret, aliave multa nunc absurda, nunc rationalia loqueretur, et in hoc statu alternante per plurium dierum aut hebdomatum spatium continuaret, tandem ad se rediens, nullius reï anteactæ conscia.

G. CXLVII. CATALEPSIS.

Gr. Κατάληψις, a *καταλαμβάνειν*, corripere (*).

Subita omnium functionum mentalium æque ac motuum voluntariorum,

---

(*) *Galenus* catalepsin sub nomine Catoches (Κατοχὴ), designat, ejusque tres species ponit: 1ª Ὑπνώδης, lethargo similis, 2ᵈᵃ Ἐγρηγορὼς, tetano affinis. 3ª Φρενιτικὴ, ex duabus prioribus composita. — *Cullen* Catochum ad tetanum, et Catalepsin ad apoplexiam male refert.

sensuumque suppressio, sæpe palpebris apertis manentibus, superstite pulsu parvo, lento, et respiratione debili, cum mira et cerea flexilitate quosvis situs artuum, intra centrum gravitatis, retinendi aut suscipiendi, ita ut corpus vel extremitates in accessu paroxysmi flexæ aut erectæ, sub duratione ejusdem in eodem situ maneant; aut si corpori positio alia quæcunque datur, eandem ad finem paroxysmi usque retineat, musculi faciei ad risum vel fletum compositi immutati maneant, aut homo hoc morbo correptus in medio pronunciationis verbi alicujus sistens, ad se rediens alteram ejusdem vocabuli partem pronunciet, intervalli temporis intermedii nullo modo conscius.

A. Catalepsy.
G. Catalepsie.
Ge. Staarsucht.

VARIETAS catalepsis est:

ECSTASIS.

Gr. Ἔκστασις, ab ἐξίσταμαι, privatio sensuum *Hipp.*

Motus artuum, omnisque sensationis privatio, ægro eandem, quam ineunte paroxysmo possidebat, corporis compositionem servante. Morbus maxime a profunda contemplatione aut mentis intentione, vel a gravi pathemate oriundus.

Variant pro causa remota:

α. Ab hyperkinesia.

β. Ab animi pathematibus.

γ. Ab abusu hydrargyri *Darw*.

δ. Venenata.

ε. Religiosa.

ζ. Metastatica.

Catalepsis quandoque periodica, quandoque etiam cum Rhembasmo alternans occurrere observata fuit.

G. CXLVIII. ILINGUS.

Gr. Ἴλιγγος, Vertigo (*).

Error judicii fugax circa motum objectorum externorum, seu sensatio erro-

(*) Alii voce metaphorica hunc morbum *Dinos* (gr. Δῖνος), appellant, id est saltus in gyrum; unde etiam Σκοτόδινος, vertigo tenebricosa aut *Scotoma* (gr. Σκότωμα, a Σκότος, tenebræ, caligo). Alii etiam *Hypochyma* (gr. Ὑπόχυμα), seu suffusionem, aut obscurationem corneæ transparentis, quæ ad visus vitia pertinet, male huc referunt.

nea transitoria, qua objecta externa omnia oculis obversantia subito et motu citato vel circumgyrare, undulare, vel etiam ascendere aut descendere videntur, metum lapsus corporis, dein lapsum ipsum revera inducens. Morbus sæpe cum obscuratione visus et tinnitu aurium, leipothymia vel etiam cum nausea aut vomitu junctus, a vitio cerebri aut organorum sensuum externorum, vel ventriculi ortus.

A. Swimming of the head.
G. Vertige; tournoiement de tête.
Ge. Schwindel.

Variat sede:

A. *Cerebralis.*

A vitio cerebri ortus, constans vel permanens, aut transitorius.

B. *Visualis.*

A vitiis oculorum ortus, in quo objecta externa præsentia tanquam volantia aut circumgyrantia, vel etiam ascendentia, aut descendentia in oculis depinguntur, etsi revera

immota sint, raro ultra minutum unum alterumve durans.

VARIETAS Ilingi visualis esse videtur

Hallucinatio, seu sensatio imaginaria circa motum aut præsentiam corporum, ut muscarum, scintillarum, colorum variorum ante oculos, dum revera nulla talia adsunt.

C. *Gastricus.*

A vitio in ventriculo hærente ortus, utplurimum nausea vel vomitu stipatus.

I. Ilingus idiopathicus.

Sp. 1. Ilingus *Repletionis.*

VARIAT *pro causa remota:*

α. A plethora generali.
β. A congestione sanguinis in enkephalo:
 1. Ex inflammatione cerebri vel meningum.
 2. Ex kephalalgia, apoplexia, epilepsia, etc.
 3. Ex hæmorrhagia instante narium critica.
 4. Ex stenosi narium.
 5. Ex circumgyratione corporis.
γ. Ab hæmorrhoeis consuetis suppressis.
δ. Ab ischomenia aut dysmenia.
ε. Ab ebrietate incipiente.

ζ. Ab

ζ. Ab effluviis gazosis, præcipue gazis acidi carbonici, ex carbonibus accensis, aut ex liquoribus fermentantibus exhalantis (*).

η. A compressione cerebri:

1. A tænia hydatigena sub cranio nidulante. (Frequens ovium, rarior hominum morbus).
2. Ab hydrokephalo.
3. A sanguine, sero, aliove humore sub cranio extravasato.
4. Ab intrusione ossium cranii.
5. Ab apostemate aut ulcere, vel excrescentia in cerebro.

ϑ. A vitio structuræ cranii connato vel acquisito.

ι. A calvitie.

κ. A metastasi:

1. Ex fonticulis, setaceis, vesicantibus, ulceribus, sudore topico pedum vel manuum etc. incaute suppressis.
2. A podagra aberrante.
3. A blennorrhœa uterina incaute suppressa.
4. Ab ophthalmitide retrocedente.

(*) Gaz acidum carbonicum, aliæque gazorum species duplici modo agere videntur, suffocando seu circulationem sanguinis per pulmones sistendo, et congestione sanguinis inde in enkephalo nata.

Sp. 2. Ilingus *Inanitionis.*

Syn. Ilingus asthenicus.

Variat pro causa remota:

α. A defectu fluidi nervei generali:

1. Ex longa inedia.
2. Ex vigiliis nimiis.
3. Ex nimia mentis intensione.

β. A debilitate generali:

1. Ex senio.
2. Ex defectu nutritionis.
3. Reconvalescentium post morbos acutos vel chronicos prægressos; vel etiam ex longo decubitu horizontali in lecto, unde perditur habitus, corpus in situ erecto æquilibrandi.

γ. A nimia lactis deperditione, præcipue lactantium debilium, aut male nutritarum.

δ. Ab hæmorrhagia aut hæmorrhoea graviore, abortu, vulnere.

ε. A venere nimia, anaphlasi, aselgotripsia.

ζ. Ebriorum, post crapulam hesternam.

Sp. 3. Ilingus *Irritationis.*

Syn. Ilingus erethisticus.

Variat pro causa remota:

α. Ab influxu fluidi nervei irregulari.

β. Ab effluxu ejusdem per nervos opticos cohibito.

γ. Ab hyperkinesia.

δ. A perturbatione animi subita.

ε. Ab animi pathematibus : tristitia, nuncio tristi, jactura gravi, infortunato amore.

ζ. A cæcitate, aut a caligine incipiente.

η. A castitate, aut a retentione seminis.

ϑ. Ab odontalgia violenta.

ι. Ab vermibus sinuum frontalium.

κ. A vectione in rheda, aversa facie.

λ. A vectione aut agitatione in navi.

μ. A rotatione corporis in machina.

ν. A circumgyratione ejusdem in saltu.

ξ. A conspectu ex alto.

ο. Ab odore quorumdam vegetabilium ingrato.

π. Ab effluviis quorumdam animalium, vel hominum, præcipue capillis rubris præditorum.

ρ. Ab effluviis cubilis recenter picti aut incrustati.

II. Ilingus sympathicus.

Variat pro causa remota :

α. A vini aliorumque spirituosorum ingurgitatione copiosa.

β. Ab ingluvie, voracitate.

γ. A saburra gastrica: acri, acida, pituitosa, biliosa.

δ. A dyspepsia, vel pneumatosi.

ε. A vermibus ventriculi aut intestinorum.

ζ. A venenis narcoticis assumptis: opio, hyosciamo albo, foliis Rhus coriariæ, lolio temulento, Nicotiana-tabaco naribus attracto, aut fumo per fistulam hausto.

η. Ab esu fungorum venenatorum aliorumve vegetabilium venenatorum.

θ. Ab esu mytulorum.

ι. Ab emphraxi viscerum abdominalium.

G. CXLIX. TROMUS.

Gr. Τρόμος, Tremor.

Artus alterna, per itus et reditus frequentes, motitatio seu agitatio involuntaria.

A. Trembling.
G. Tremblement des membres.
Ge. Zittern.

Varietas *Tromi* est:

Subsultus tendinum.

Plerumque symptoma enkephalitidis aut asthenopyræ, septorrhepyræ etc.

A. Twitching of the tendons.
G. Soubresaut des tendons.
Ge. Flechsenhüpfen.

Sp. 1. Tromus *Repletionis.*

Variat:

α. A plethora generali.
β. Ab evacuationibus sanguineis consuetis suppressis.
γ. A congestione sanguinis in cerebro aut medulla spinali, vel a compressione eorundem ex aqua, pure etc.
δ. Ab ira, gaudio, libidine etc.
ε. A contusione capitis.

Sp. 2. Tromus *Inanitionis.*

Variat, fere ut convulsio:

α. Ab hæmorrhagiis aut hæmorrhoeis prægressis.
β. Ab inedia.
γ. A labore aut exercitio violento.
δ. A nimia venere, anaphlasi, aselgotripsia.
ε. A debilitate generali, præcipue ex febribus asthenopyra, septorrhepyra etc. aliisve morbis prægressis.
ζ. A debilitate topica.
η. A senio.

ϑ. A frigore externe applicato, aut a stadio frigoris in dialeipyris.

ι. Ab abusu spirituosorum, vel narcoticorum, potus coffeæ etc.

κ. A vaporibus metallicis aut a præparatis metallicis deglutitis, præcipue plumbi, hydrargyri, arsenici.

λ. Ex arthrodynia rheumatica prægressa.

G. CL. CARDIOPALMUS

A Gr. Καρδία, cor, et παλμὸς, palpitatio.

Cordis palpitatio seu contractio abnormis, violenta; sæpe cum pulsu arteriarum debili, aut irregulari, vel intermittente.

Syn. Cardiogmus *Galeni*.

A. Palpitation of the heart.
G. Palpitation du cœur.
Ge. Herzklopfen.

Sp. 1. Cardiopalmus *Idiopathicus*.

Variat pro causa remota :

α. Ab inflammatione, aut abscessu cordis.

β. Ab anevrismate cordis.

γ. Ab ossificatione cordis aut valvulis ejusdem induratis, callosis, osseis.

δ. A calculo aut polypo cordis vel aortæ.

ε. Ab induratione pericardii aut ejus accretione ad cor.

ζ. Ab hydrope pericardii.

η. A calculo, vermibus in pericardio.

ϑ. Ab anevrismate aortæ vel arteriæ pulmonalis.

ι. Ab iisdem arteriis callosis, cartilagineis, osseis.

κ. Ab aortæ angustia.

λ. A nimia cordis irritabilitate.

μ. A cordis debilitate.

ν. A plethora.

ξ. A motu sanguineis aucto: exercitio violento, febre, animi pathematibus etc.

ο. A pulmonibus infarctis, skirrhosis.

π. Ab hydrothorace.

ρ. A mala thoracis vel spinæ dorsi conformatione.

σ. A defectu sanguinis ex inedia, aut evacuationibus sanguinis nimiis.

Sp. 2. Cardiopalmus *Sympathicus.*

Variat pro loco affecto:

α. A ventriculo affecto.

β. Ab utero vel ovariis affectis.

γ. A pancreate affecto.

δ. Ab animi pathematibus: metu, terrore, gaudio magno.

ε. Ab hyperkinesia.

ζ. A capite varie affecto.

η. A pneumatosi.

θ. A vermibus intestinorum.

Sp 3. Cardiopalmus *Symptomaticus*.

VARIAT *pro causa remota:*

α. Ab evacuationibus sanguineis vel mucosis consuetis suppressis.

β. Ab effluviis acribus inspiratis.

γ. A chlorosi.

δ. A podagra aberrante.

ε. A morbis cutis variis retropulsis.

ζ. A scorbuto.

G. CLI. TUSSIS *s.* BEXIS.

Gr. Βὴξ, Tussis.

Violenta et sonora aëris inspirati, larynge antrorsum moto et elevato, per bronchia, laryngem et os excussio.

A. Cough.
G. La toux.
Ge. Husten.
Ital. Tosse.

Sp. 1. Tussis *Pulmonalis.*

Tussis ab irritatione membranæ interioris laryngis, tracheæ aut bronchiorum orta; unde diaphragmatis, ac musculorum thoracis et abdominis motus violenti, convulsivi, quibus aër cum muco, sero, pure etc. e pulmonibus ejicitur.

Variat pro causa remota:

α. Ab inflammatione pulmonum, pleuræ, mediastini.

β. Ab inflammatione membranæ mucosæ bronchiorum aut pulmonum (*Catarrhalis; Rubeolosa*).

γ. Ab ulcere, apostemate, aut vomica pulmonum.

δ. A tuberculis pulmonum.

ε. Ab exsudatione materiæ albuminosæ sanguinis in tracheam, vel cavum thoracis ex pleuritide, bronchitide etc. prægressis.

ζ. A sanguine, pure, muco, sero, mole aut acrimonia bronchia etc. irritantibus.

η. A pulveribus, fumis, vaporibus variis inspiratis, mechanice aut chemice vias aëreas irritantibus, huc pertinet:

1. Tussis chemicorum aut pharmacopœorum.

2. Tussis molitorum, statuariorum, lapicidarum, vitra polientium, figulorum; calcem vivam, sulfatem calcis, aut præparata plumbi tractantium.

ϑ. Ab hydrothorace.

ι. Ab anevrismate cordis vel aortæ.

κ. A varicibus venarum thoracis.

λ. Ab hæmoptoë.

μ. A phthisi.

ν. Metastatica :

1. Ex arthritide rheumatica vel podagrica, aut ab erysipelate retrocedente.
2. Ex vitio scrofuloso (scrofulosa).
3. Ex viru syphilitico (syphilitica).
4. Ex galactoplania.
5. Ex ischomenia.
6. Ex suppressione hæmorrhoidum.
7. Ex suppressione blennorrhoeæ uterinæ.
8. Ex herpete, psora, tinea, achore, ulcere, sudore pedum, fonticulo etc. præpostere suppressis.

Sp 2. Tussis *Gutturalis.*

A causa materiali glottidem irritante orta.

Variat pro causa remota :

α. A peregrinis corporibus inter edendum aut bibendum, vel alio modo in rimam glottidis illapsis.

β. A muco acri viscido in faucibus aut larynge.
γ. A pulvere aut calculo in larynge.
δ. A tumoribus vicinis laryngem aut tracheam comprimentibus.
ε. A defectu secretionis muci naturalis in trachea vel larynge.
ζ. Ab inflammatione laryngis, tracheæ, aut bronchiorum.
η. Ab effusione partis albuminosæ sanguinis in cavum bronchiorum vel tracheæ.

Sp. 3. Tussis *Gastrica.*

Tussis utplurimum sicca profunda, cum pondere aut inflatione ventriculi, anorexia, nausea, vomituritione aliisve saburræ gastricæ symptomatibus, vomitu, gasteralgia, aphthis oris et faucium, sensu molesto ad scrobiculum, pressione aucto, juncta. Tussis sub inspiratione profundiore nulla.

VARIAT pro causa remota:

α. A saburra pituitosa, biliosa, acida, rancida.
β. A flatibus seu extricatione gazis cujusvis elastici ex ingestis crudis, flatulentis (*).
γ. A miasmate acri, febrili, exanthematico, cum aëre deglutito.

(*) Hæc est præcipue Tussis equorum asthmaticorum.

δ. A vermibus aut aliis animalculis in ventriculo hospitantibus.

ε. A metastasi (ut in tussi pulmonali).

ζ. A læsione, vulnere, inflammatione etc. ventriculi.

η. A peculiari diaphragmatis, ventriculi, vel intestinorum irritabilitate, aut sensibilitate. (Tussis nervosa, hysterica *Auct.*)

Sp. 4. Tussis *Intestinalis*.

Tussis utplurimum sicca, profunda, cum doloris aut molestiæ sensu in quadam abdominis parte, maxime pressione abdominis excitata. Tussis ex inspiratione profundiore nulla.

VARIAT fere ut tussis gastrica.

Sp 5. Tussis *Hepatica*.

Tussis profunda utplurimum sicca sed quandoque etiam humida, cum ponderis, aut doloris sensu in hypochondrio dextro, pressione aucto.

VARIAT *pro causa remota:*

α. A læsione, vulnere, inflammatione, suppuratione hepatis.

β. Ab emphraxi systematis venæ portarum.

γ. Ab induratione, aut a skirrho hepatis.

Sp. 6. Tussis *Splenica.*

Eadem fere symptomata in hypochondrio sinistro ac in specie præcedente.

G. CLII. PERTUSSIS.

Tussis convulsiva, sonora, per intervalla irregularia accedens, cum sensu strangulationis in faucibus.

SYN. Pertussis. *Sydenh.*
Tussis convulsiva } *Auct.*
—— infantum. }
—— ferina *S.*
Amphimerina tussiculosa *S.*

A. The hooping cough; chin-cough.
G. La coqueluche.
Ge. Keichhusten.

VARIAT sede :

Causa materiali hærente,

1. In faucibus et gutture.
2. In ventriculo et intestino duodeno.
3. In pulmonibus.

Sp 1. Pertussis *Contagiosa* (*).

Prægressis utplurimum per 10 aut 14 dies symptomatibus catarrhi ordinarii tussis convulsiva strangulans : ante quamvis accessionem tussis, sensatio strangulationis, anxietatis, irritationis peculiaris in faucibus vel ad præcordia, ægrum de paroxysmo instanti admonens ; subsequente mox livore faciei, oculorum protuberantia, convulsiva crurum et brachiorum agitatione, accedente tussi sonora, convulsiva, stridula repetita, inter continuas expirationes nulla inspiratione interpolatas, sequente sæpe vomitu assumptorum vel screatu materiæ mucosæ, viscidæ, pendulæ, ranarum spermati simillimæ, aut etiam ejectione sanguinis violenta ex naribus aut pulmonibus; quandoque etiam sequentibus sub finem paroxysmi convulsionibus, epilepsia, tetano, apoplexia. Morbus contagiosus, ab anno 1414 frequenter epidemicus, nervos diaphrag-

---

(*) Sedes hujus morbi nondum exacte determinata est. *Strack* medicus Moguntinus celebris in dissertatione peculiari causam materialem ejus, nec in pulmone, nec in ventriculo, aut intestinis hærere, sed faucium potissimum atque glottidis glandulis insidere credit. Forsan sedes morbi variis temporibus, et in variis subjectis varia est.

matis præprimis lacessens; infantibus maxime et junioribus ante tempus pubertatis infestus, pertinacissimus, per plures septimanas, subinde ad duos tresve menses et ultra perdurans; semel tantum in vita invadens.

Sequentes Species, ab auctoribus notatas, hic subjungo:

Sp. 2. Pertussis *Verminosa.*

A vermibus in ventriculo et intestinis hospitantibus.

Sp. 3. Pertussis *Exanthematica.*

Præcipue a rubeola, variola aliisve exanthematibus ad pulmones delatis.

Sp. 4. Pertussis *Pituitosa.*

A viscido, mucoso pulmonum infarctu; aut a materia pituitosa, glutinosa, acri ventriculum vel guttur occupante.

Sp. 5. Pertussis *Catarrhalis.*

Acuta vel Chronica.

Sp 6. Pertussis *Rheumatica.*

Idiopathica ex refrigerio corporis, vel metastatica.

Sp. 7. Pertussis *Febrilis*.

α. Cum synechepyra irregulari.
β. Cum dialeipyra irregulari.

Sp. 8. Pertussis *Inflammatoria*.

Cum pneumonitide aut pleuritide juncta.

G. CLIII. DYSPNOEA.

Gr. Δύσπνοια, a δὺς, difficultas, et πνέω respirare : Respirandi difficultas.

Respiratio difficilis, anhelosa, permanens.

Syn. Asthma continuum. } *Auct.*
——— spurium. }

A. A constant difficulty of breathing, or difficult respiration.
G. Dyspnée; courte haleine.
Ge. Kurzer Athem; beschwerliches Athemholen.

A. Idiopathica.

Variat sede :

1. In pulmone.
2. In bronchiis vel trachea.

3. In

3. In larynge.
4. In variis thoracis partibus.

Sp. 2. Dyspnœa *Pulmonalis*.

A vitio pulmonum organico orta.

Variat pro causa remota :

α. Ab inflammatione pulmonum, pleuræ, mediastini, pericardii, diaphragmatis etc. aut a catarrho violento.
β. A febre.
γ. A plethora generali vel topica.
δ. A menstruorum aut hæmorrhoidum fluxu suppresso, vel ab aliis evacuationibus sanguinis consuetis intermissis.
ε. Ab eruptione exanthematum impedita.
ζ. A pituita tenaci pulmones obruente.
η. Ab hydrope cellularum bronchialium.
ϑ. Ab hydatidibus, calculo, tuberculis, vomica, vel skirrho pulmonum.
ι. A vesicularum pulmonalium ruptura.
κ. Ab ossificatione cellularum bronchialium.
λ. A magnitudine pulmonum solito majore vel minore.
μ. A vermibus in pulmonibus nidulantibus.
ν. Ab adhæsione, aut concretione pulmonum cum pleura.
ξ. A morbis cutaneis : achore, tinea, psora,

herpete, variola, rubeola etc. retrocedentibus aut retropulsis.

ο. Ab ulcere, fonticulo, sudore locali præpostere siccatis.

π. Ab arthritide rheumatica vel podagrica, aut erysipelate retrocedentibus.

ρ. Ab podagra aberrante.

σ. A galactoplania.

τ. A venis pulmonalibus varicosis.

υ. Ab anevrismate, tuberculis, aut concretionibus calculosis arteriæ pulmonalis.

φ. Ab angustia venæ pulmonalis.

χ. A vulnere aut læsione quacunque pulmonum, ejusve nervorum.

I. Ab aëre varie vitiato:

1. Ex atmosphæra solito leviore vel graviore.
2. Ex proportione oxygenii necessaria in aëre atmosphærico diminuta.
3. Ex gazis nitrogenii, hydrogenii, acidi carbonici proportione solita aucta.
4. Ex efluviis acribus acidi muriatici oxygenati, ammoniacæ, sulphuris accensi etc.
5. Ex exhalationibus aut vaporibus, vel pulvere arsenici, plumbi, hydrargyri inspiratis.
6. Ex effluviis quorumdam vegetabilium vel animalium, aut hominum, præcipue in cubilibus angustis, aut male ventilatis.

7. Ex pulvere psycothriæ emeticæ, jalapæ etc. inspirato.
8. Ex farina, pulvere terreo vel vitreo inspiratis, unde dyspnœa molitorum, et opificum variorum.

Sp. 2. Dyspnœa *Thoracica.*

1. *A compressione pulmonum:*

VARIAT:

α. Ab anevrismate cordis, aortæ, arteriæ subclaviæ, arteriæ cœliacæ.
β. Ab hydrothrorace, hydrope pericardii.
γ. A pinguedine cordis aut pericardii.
δ. Ab hydatidibus in superficie pulmonum natis.
ε. Ab aëre in cavo thoracis contento; vel a sanguine, aqua, pure inter pulmones et pleuram effusis.
ζ. A sarcomate sub sterno, aut steatomate pulmones comprimente.
η. Ab apostemate inter costas et pleuram.
ϑ. Ab angustia aut mala conformatione thoracis, sterni, vel spinæ dorsi.
ι. A diaphragmate, ex tumore quocunque viscerum abdominalium, versus pulmones sursum presso.
κ. A peregrinis quibusvis, ex œsophago aut

diaphragmate rupto aut vulnerato, in cavum thoracis penetrantibus.

2. *A vitiis cordis vel aortæ.*

Variat:

α. Ab anevrismate, aut polypo cordis, vel aortæ.

β. Ab accretione pericardii cum corde.

γ. Ab ossificatione arteriarum vel valvularum cordis.

δ. A vulnere aut læsione quacunque cordis vel aortæ.

3. *A vitits costarum aut musculorum thoracis.*

Variat:

α. A vulnere, fractura, dislocatione aut læsione quacunque costarum, aut musculorum.

β. Ab ossescentia cartilaginum costarum.

γ. A carie costarum vel sterni.

δ. Ab exostosi syphilitica etc. costarum, sterni, claviculæ.

ε. Ab ossificatione inter pleuram et costas.

ζ. Ab emphysemate.

η. A dorsi tumore aut curvatura abnormi.

θ. A rheumate musculorum vel pleuræ.

ι. A paralysi, spasmo, læsione nervorum aut musculorum respirationi inservientium.

Sp. 3. Dyspnœa *Trachealis*, *Gutturalis*, *Nasalis*.

Variat:

α. A stenosi narium vel faucium ex inflammatione, tumore, polypo etc.

β. A ranula sub lingua, seu tumore glandularium sublingualium.

γ. A musculis mylo-aut geniohyoideo vulneratis.

δ. A compressione aut angustatione glottitidis vel tracheæ:

1. Ex peregrinis in œsophago hærentibus.
2. Ex sarcomate aut tumore quocunque tracheam comprimente.
3. Ex tumore glandulæ thyroideæ, thymi, glandularum submaxillarium, aliarumve glandularum colli.
4. Ex inflammatione glottitidis, aut tracheæ.
5. Ex portione albuminosa sanguinis in tracheam effusa, coagulata.
6. Ex sanguine, pure etc. tracheam obstruente, irritante.

B. Sympathica.

Variat:

α. Ab hyperkinesia intestinali, vel uterina.

β. A capitis aut cerebri vitiis.

γ. A balneo frigido.

δ. A debilitate ventriculi vel intestinorum.

ε. Ab animi pathematibus.

ζ. A seminis retentione.

η. A potu frigido.

ϑ. A mytulis aut fungis venenatis, tabaco etc. deglutitis.

ι. A vermibus ventriculi, intestinorum.

κ. A venenis assumptis; præcipue plumbo arsenico, hydrargyro, cupro.

λ. A cartilagine xyphoidea ossificata, vel intropressa.

μ. A calculo felleo in ductu choledocho impacto.

ν. A renum aut vesicæ vitiis, præcipue acalculo.

ξ. Ab ischuria, præcipue senum.

C. Symptomatica.

A causis diaphragma sursum contra pulmones prementibus.

Variat:

α. A gasteralgia-pyrosi.

β. A pneumatosi, vel tympanitide.

γ. Ab hydrope abdominis.

δ. A polysarkia, seu pinguedine abdominis nimia.

ε. A graviditate.
ζ. Ab hysteronco vario.
η. Ab ovarionco vario.
ϑ. A tumore, emphraxi, inflammatione, abscessu, hydatidibus, situ abnormi hepatis, splenis aliorumve viscerum abdominalium.
ι. A tumore ventriculi aut intestinorum.
κ. A tumore mesenterii, pancreatis.
λ. A tumore, polysarkia, steatomate omenti.
μ. Ab anevrismate arteriæ cœliacæ.
ν. A viscerum abdominalium concretione, aut dislocatione varia.

G. CLIV. ASTHMA.

Gr. Ἆσθμα, Respirandi difficultas periodice recurrens.

Respiratio, præcipue inspiratio summe difficilis, incompleta, anhelosa, sonora seu sibilosa, intervallis irregularibus, utplurimum noctu, hora una alterave post primum somnum invadens, cum sensu summæ anxietatis aut angustiæ in pectore, quæ ægro nonnisi corpore erecto respirare permittit, sicque per plures horas ad mane usque continuans, remanente plerumque inter paroxysmos recurrentes dyspnoea. Progressu morbi

paroxysmi frequentiores et longiores, per dies plures durantes, cum sensatione suffocationis et præsentis periculi; accedente utplurimum hydrothorace, anasarca et cachexia generali. Morbus periodice recurrens a causa quacunque vesiculas bronchiales pulmonum periodice obstruente, aut earum contractionem et dilatationem, ac ingressum plenum et liberum aëris impediente ortus, et cum motu musculorum respirationi inservientium spasmodico junctus, sine dolore aut febre (*).

Huc etiam pertinet :

ORTHOPNOEA, Gr. Ὀρθόπνοια, ab ὀρθὸς, erectus, et πνέω, respiratio : Respiratio nonnisi corpore erecto perficienda. Metus suffocationis cogit hos ægros thoracem, et collum in situ erecto tenere, ut respirare possint.

(*) Auctores plurimi asthma cum dyspnœa confundunt, sed asthma a dyspnœa essentialiter differt, quod periodice ægrum invadat, paroxysmo in genere non nisi spatio quorundam horarum, vel die uno alterove durante. Causa proxima asthmatis videtur esse impedita expansio et contractio vesicularum bronchialium, ingressum aëris plenum et liberum impediens, sed ratio periodicitatis, seu recursus ejusdem periodi nos adhuc latet.

A. Asthma idiopathicum.

Sp. 1. Asthma *Pituitosum.*

Respiratio difficilis, sonora, accessionibus præcipue nocturnis cum tussi et expectoratione seri spumescentis, vel materiæ mucosæ, viscidæ, superveniente versus finem paroxysmi hyperhidrosi frigida pectoris, faciei et brachiorum, cum levamine ægri.

SYN. Asthma humidum.
——— humorale.
——— mucosum.

Sp. 2. Asthma *Spasmodicum.*

Respiratio difficilis, anhelosa, periodice de die aut nocte invadens, sine expectoratione, et sine sudore frigido et viscido extremitatum superiorum.

SYN. Asthma nervosum. }
——— convulsivum. } *Auct.*
——— siccum. }

VARIANT pro causa remota,

Fere ut *Dyspnœa.*

B. Asthma symptomaticum.

VARIAT pro causa remota:

α. Plethoricum:

1. A plethora generali.

2. Ab evacuationibus sanguinis consuetis suppressis.
3. Ab impedito sanguinis circulo libero per viscera abdominalia.

β. Metastaticum :

1. Ab arthritide rheumatica, vel podagrica aut erysipelate retrocedentibus.
2. A podagra aberrante.
3. A psora, herpete, exanthematibus retropulsis.
4. A sudore locali, ulcere, fonticulo etc. præpostere siccatis.

γ. Ab hydrope abdominis.

δ. Ab emphraxi aut tumore vario viscerum abdominalium.

ε. A hyperkinesia.

ζ. A dyspepsia, pneumatosi, tympanitide.

G. CLV. PNIGALION.

A Gr. Πνιγαλίων, THEMISON, vel etiam πνιγάμων, a πνίγω, suffocare, quod ægri hoc morbo affecti sese sub somno suffocatione oppressi sentiunt.

Sensatio suffocationis seu ponderis et oppressionis in pectore sub somno summe molesta cum desiderio vehementi locum movendi, absque quod æger id

ullo modo efficere queat. Respiratio impedita, anxietas summa quasi a pondere quodam thoraci incumbente, et imaginationem modo sub una, modo sub alia forma ludente (*), donec post diutinam subinde luctam æger tandem quasi ex vehementia metus aut terroris expergefiat, pectore et facie sudore manantibus.

Syn. Ephialtes (gr. Ἐφιάλτης, s. Ἐφιάλτιον, ab ἐφάλλομαι, insilire).

Ἐπιβολὴ, oppressio, compressio.

Πνιγμὸς ἐνύπνιος, *Discorid.*

Ὑπνοφοβία, terror in somnio.

Incubus *Cœl. Aurel.*

Succubus *Auct.*

Asthma nocturnum.

Oneirodynia gravans *Cull.*

A. Night-mare.

G. Cochemar.

Ge. Alp; Alpdrücken.

(*) Illusio ponderis opprimentis sæpe tanta est, ut æger sese videre et sentire credat irruens quoddam horridum monstrum, insiliens pectori (Faunus vel satyrus paganis; saga vel diabolus christianis superstitiosis), quandoque ad usum turpissimæ libidinis excitans.

Variat pro causa remota,

α. A causis ad apoplexiam, paralysin, epilepsiam, maniam prædisponentibus (*).

β. Ab ingluvie, aut crudis ingestis; præcipue a cœna lauta.

γ. Ab acido, aut pituita aliave saburra ventriculum aut intestina gravante.

δ. A vermibus.

ε. Ab ebrietate.

ζ. A defatigatione.

η. A decubitu in dorsum.

ϑ. A plethora, aut emphraxi viscerum abdominalium.

G. XIV. PNIGOPHOBIA.

A Gr. Πνὶξ, s. πνῖγος, suffocatio, et φόβος, metus: Metus suffocationis diurnus (**).

Morbus, præcipue viros post quadragesimum ætatis annum, per intervalla longiora vel breviora, initio utplurimum sub deambulatione in aëre libero, dein

---

(*) Affectus hic in iis, qui ad apoplexiam, paralysin, epilepsiam aut Paranoias prædispositi sunt, sæpe periculum imminens portendit, quod practico notare magni momenti est.

(**) Ad characterem hujus morbi, qui apud auctores sub pluribus nominibus variis occurrit, rectius designandum nomen Pnigophobiæ adoptavi.

etiam domi in cubili subito invadens sine ulla causa externa apparente, cum summo suffocationis metu, ad motum corporis levissimum aut ad loquellam aucto, simulque cum sensatione anxietatis ineffabilis in pectore ac dolore sub sterno, quandoque ad latus sinistrum, rarius dextrum, extendente, et frequenter etiam medium brachii sinistri occupante, ita ut æger instantanee gressum sistere, faciem a vento avertere, et sic stare vel sedere per aliquot momenta cogatur. Accessus quandoque eodem die sæpius redit; quandoque per plures dies aut hebdomadas ægrum apparenter incolumem relinquit; malo sic sæpe per menses aut annos durante et tandem subito lethali. Quandoque progressu morbi respiratio constanter difficilis manet cum tussi sicca, molesta, irrita, ac sputis parvis, albis, rotundis atque grandinosis.

SYN. Angina pectoris *Heberden* (*).

Angone *V.*

(*) *Guill. Heberden* hunc morbum primus bene descripsit in *Medic. Transact.*; dein etiam in suis *Com-*

Asthma pneumodes *Aretæi*?
Asthma dolorificum *Darwin*.
Asthma convulsivum (*).
Asthma arthriticum. }
Catarrhus suffocativus. } *Auct.*
Angina convulsiva. }
Syncope anginosa seu cardiaca *Parry*.
Asthma skirrhosum *Gruner* ?
Dyspnœa calculosa ?

---

mentariis, p. 803. Vide etiam *Morgagni*, *Epist.* 22 et 23. An Ἆσθμα πνευμῶδες *Aretæi* huc pertineat, aliis dijudicandum relinquo. *Asthma skirrhosum* GRUN. et *Asthma arthriticum*, ac *Dyspnœa calculosa* AUCT., huc minus recte referri mihi videntur, cum in morbo de quo hic agitur, nulla proprie dyspnoea, sed anxietas solum adsit per intervalla recurrens sine pulsu aucto, ut *Heberden* bene observavit. Cæterum causæ hujus morbi hactenus latent; quandoque a podagra aberrante ; quandoque a vitio gastrico aut infarctu viscerum abdominalium dependet. *Parry* eundem ab ossificatione arteriarum coronariarum cordis derivat ; sed in pluribus casibus nullum vitium in corde aut in pulmone, sed hepar durum, infarctum, aut ventriculus skirrhosus inventus fuit ; et *Percival* casum refert Medici cujusdam in Anglia, qui hoc morbo correptus diarrhoea spontanea per 15 dies durante eodem perfecte liberatus fuit.

(*) Differt ab asthmate nervoso seu spasmodico aut sicco dicto, quod hoc, etsi per intervalla accedens sine dolore in pectore adsit, dum Pnigophobia semper cum dolore pectoris jungitur.

Variat pro causa remota:

α. A podagra aberrante.
β. A psora suppressa.
γ. Ab ossificatione aortæ, vel arteriarum coronariarum cordis.
δ. Ab inflammatione mediastini.
ε. Ab hydrothorace.
ζ. A polypo aut anevrismate cordis vel aortæ.
η. A spasmo diaphragmatis.
ϑ. A saburra primarum viarum.
ι. Ab infarctu hepatis.
κ. A debilitate ventriculi, dyspepsia.
λ. A pneumotosi.

G. CLVII. HYDROPHOBIA.

Gr. Ὑδροφοβία, ab ὕδωρ, aqua, et φοβέομαι, metuo: Metus aquæ (*).

Horror seu timor ex visu aquæ, aut etiam ex auditu strepitus aquæ, ex vase uno in alterum versæ.

(*) Nomen Hydrophobiæ seu metus aquæ recte a Græcis adhibitum mihi videtur, utpote a symptomate primario et pathognomico desumptum. Græci hunc morbum etiam *Lyssam seu Kynolyssam* (Λύσσα, s. Κυνολύσσα), id est, *Rabiem caninam* appellant, quod ex morsura canum vel luporum rabidorum præcipue oriatur. Morbus hic

Syn. Rabies canina. *Auct.*

A. Hydrophobia; canine madness.

G. Hydrophobie; la rage.

Ge. Wasserscheue; Hundswuth.

Sp. 1. Hydrophobia *Venenata.*

Utplurimum paucis diebus, quandoque quadragesimo die aut etiam serius (*) post morsuram canis aut alius animalis rabidi, invadens. In primo morbi stadio, dolor in parte morsa intensus, stupor et torpor membri affecti cum dysphoria generali et tristitia; somnia terrifica; aversio et horror aquæ liquorumve aliorum primo ad visum, deinde etiam ad sonitum, imo et auditum nominis aquæ. Post paucos dies, in secundo stadio morbi, difficultas et impossibilitas deglutiendi liquida; terror ex motu aquæ agitatæ; tremor; vertigo; suspirium frequens; pulsus debilis, irregularis, frequens ad 120 pulsationes in minuto. Tandem in tertio stadio morbi, desiderium adstantes

---

jam antiquissimis temporibus notus fuit, quidquid contra dicat *Cœlius Aurelianus;* nam Actæonem Aristæi filium jam 1270 circiter annos ante ær. Chr. hoc morbo periisse ex *Euripide* et *Apollodoro* discimus.

(*) *Galenus* hydrophobiam interdum intra tres quatuorve menses, sed interdum etiam nonnisi integro anno post morsuram invadere observavit.

mordendi

mordendi vehemens, sed involuntarium, mente sana adhuc contra nitente, ita ut æger adstantes moneat et membra vinculis liganda sponte præbeat. — Dolores ardentes vehementissimi in capite, ore, faucibus et præcipue in parte morsa; anxietas et metus intolerabilis; nisus adstantes mordendi et conspuendi irresistibilis; spuma ad os; imagines terrificæ diu noctuque; convulsiones ex visu aquæ aut corporum splendentium horridæ; irritabilitas sensuum summa, ægro sub his omnibus sibi perfecte conscio et mentis ac ratiocinii compote.

Sp. 2. Hydrophobia *Traumatica.*

Metus aquæ, aliavæ rabiei caninæ symptomata, accedente gnathospasmo, ex vulnere malleoli dolorifico. *Darwin.*

Sp. 3. Hydrophobia *Hysterica.*

Metus et horror aquæ, aliave rabiei symptomata in fœminis hyperkinesia hysterica laborantibus.

Sp. 4. Hydrophobia *Phantastica.*

Symptomata rabiei caninæ ex metu morsuræ venenatæ, quæ venenata non fuit.

G. CLVIII DYSCATAPOSIA.

Gr. Δυκαταποσία, a δὺς male, et κατάποσις, deglutitio.

Deglutitio difficilis vel impedita.

Syn. Dysphagia *Auct.*
Dyscatabrosis.

A. Difficult deglutition.
G. Difficulté d'avaler.
Ge. Beschwerliches, verhindertes Schlingen.

Sp. 1. Dyscataposia *Muscularis*.

A vitio musculorum masticationi aut deglutitioni inservientium.

Variat pro causa remota:

α. Ab inflammatione.
β. A vulnere, contusione, distorsione, aut violenta distractione, vel læsione quacunque musculorum.
γ. A spasmo.
δ. Ab asthenia, aut paralysi.

Sp. 2. Dyscataposia *Maxillaris.*

A vitiis maxillarum aut dentium.

Variat pro causa remota:

α. A polypo, fungo etc. sinus maxillaris.

β. A carie, exostosi, luxatione, fractura etc. ossium.

γ. A tumoribns.

Sp. 3. Dyscataposia *Lingualis.*

Variat pro causa remota:

α. A defectu aut mala conformatione.
β. A frænulo linguæ nimis brevi.
γ. A vulnere, læsione etc.
δ. A tumoribus.
ε. Ab inflammatione, aphthis, ulceribus.
ζ. A concretione cum partibus vicinis.
η. A paralysi linguæ.

Sp. 4. Dyscataposia *Palatina.*

A vitiis palati, veli penduli, uvulæ, tonsillarum. (*)

Variat:

α. A fissura aut mala conformatione palati.
β. Ab erosione, aut ulcere palati.
γ. A defectu palati, uvulæ, aut veli penduli.
δ. A vulnere, dilaceratione.

(*) Huc etiam pertinet: *Dyscataposia infantum recens natorum*; utpote quæ potissimum vel a frænulo linguæ nimis brevi, vel a labio leporino, vel a fissura aliove vitio palati, vel a defectu aut erosione uvulæ, aut veli penduli, vel a vitio epiglottidis aut laryngis dependet.

ε. Ab inflammatione, aut tumore veli penduli, vel tonsillarum.

ζ. Ab uvulæ relaxatione.

Sp. 5. Dyscataposia *Laryngea.*

A vitiis laryngis, vel epiglottidis.

VARIAT :

α. Ab induratione, inflexibilitate epiglottidis.

β. Ab inflammatione, tumore, erosione, dislocatione, degeneratione epiglottidis, laryngis, aut musculorum ejusdem.

γ. A ligamento epiglottidis nimis brevi.

Sp. 6. Dyscataposia *Pharyngea, œsophagea.*

A vitiis pharyngis vel œsophagi. (*)

1. *Inflammatoria :*

α. Ab inflammatione veli, tonsillarum, pharyngis vel œsophagi.

β. Ab apostemate, aut sphakelo faucium.

2. *Traumatica :*

α. A vulnere, dilaceratione, perforatione, ruptura aut læsione quacunque.

(*) Pharynx (fauces *latin.*) est pars superior œsophagi visibilis retro laryngem sita. Œsophagus (stomachus *latin.*) est pars media canalis inter pharyngem et orificium ventriculi superius, retro tracheam locata.

β. A læsione aut distorsione musculorum.
γ. Ab ulcere.

3. *Metastatica:*

α. Ab exanthematibus, aut morbis cutis chronicis retrocedentibus.
β. Ab arthritide podagrica vel rheumatitca, aut erysipelate retrocedentibus.
γ. A podagra aberrante.

4. *Eclytica:*

α. A vitiis cerebri, vel nervorum.
β. Ab asthenopyra, septorrhepyra.
γ. A nimia dilatatione totius œsophagi, aut extensione partis ejusdem in saccum.

5. *Spasmodica:*

α. Ab hyperkinesia hysterica.
β. A tetano, vel cardiopalmo.
γ. A potu gelido.
δ. A stadio frigoris in dialeipyris.
ε. A venenis, aut pharmacis acribus: datura strammonio, acidis, alcalibus, fumo tabaci etc. deglutitis, ab hydrargyri abusu etc.
ζ. Ab hydrophobia.
η. A sympathia: ex bile acri, acido, vermibus in ventriculo.

6. *Stenotica:*

A coarctatione, obstructione, compressione pharyngis, aut œsophagi.

Variat pro causa remota:

α. A polypo narium posteriorum.
β. A tumore glandularum parotidum, submaxillarium, tonsillarum, thyroideæ, thymi, glandularum dorsalium, colli.
γ. Ab ossificatione, aut luxatione cartilaginum glottidis.
δ. A tumore quocunque laryngis, tracheæ.
ε. Ab anevrismate aortæ, subclaviæ, carotidis.
ζ. Ab hydrothorace.
η. A luxatione, aut fractura ossis hyoidei.
θ. A luxatione, aut fractura vertebrarum.
ι. A tumore aut curvatura spinæ dorsi.
κ. Ab excrescentiis, fungis aut verrucis in œsophago.
λ. A spasmo pharyngis vel œsophagi.
μ. Ab ossificatione eorundem.
ν. A skirrho glandularum œsophagi.
ξ. A siccitate seu defectu secretionis muci in pharynge aut œsophago.
ο. Ab ulcere, callo, apostemate pharyngis aut œsophagi.
π. A concretionibus calculosis.

ρ. Ab infixis peregrinis deglutitis: ossibus, aciculis etc.

σ. A concretione œsophagi.

Sp. 7. Dyscataposia *Gastrica.*

Ab inflammatione, apostemate, ulcere, tumore, callo, ossificatione, skirrho, carkinomate, spasmo, stenosi ventriculi, cardiæ, pylori; vel a distensione ventriculi, ex ingluvie, flatulentia etc.

G. CLIX. DYSPEPSIA.

Gr. Δυσπεψία, a δὺς, male, difficulter, et πέπτω, digero; πέψις, digestio, concoctio: difficilis aut vitiata alimentorum assumptorum digestio.

Pondus vel tumor in epigastrio; gasteralgia, flatulentia, anorexia; quandoque nausea, emesia; eructatio acida, putrida, nidorosa, rancida vel insipida, plerumque cum dyscoilia.

A. Difficult or bad digestion.
G. Mauvaise digestion.
Ge. Schwere oder üble Verdauung.

Huc etiam pertinent:

1. *Apepsia* (gr. Ἀπεψία, ab α negat. et πεπτω,

digero): Indigestio, *s.* digestio aut concoctio deficiens.

A. Indigestion.
G. Indigestion.
Ge. Unverdaulichkeit; gehinderte Verdauung.

2. *Bradypepsia* (gr. Βραδυπεψία, a Βραδυς, lentus, segnis, tardus) concoctio *s.* disgestio tarda et imbecilla.

A. Weak or slow digestion.
G. Foiblesse d'estomac.
Ge. Magenschwäche, schwacher Magen.

OBSERVATIONES GENERALES.

Ad naturam morbi, de quo hic agitur, rectius intelligendam, sequentia perpendere juvabit. *Digestio* seu *concoctio* est alimentorum vegetabilium vel animalium assumptorum in ventriculo mutatio in humorem peculiarem, qui dein ex ventriculo in intestinum duodenum expulsus, admixta bile et succo pancreatico, in humorem album, blandum et homogeneum, *Chlyum* dictum, vertitur. Chylus in duodeno et jejuno elaboratus a vasis absorbentibus, vulgo lacteis dictis, ex intestinis absorbetur et ex his per ductum thoracicum

propulsus, massæ sanguinis admiscetur; ubi demum ulterius elaboratus nutritioni corporis inservit. Nutritio autem est reparatio eorum, quæ vi vitæ dato tempore detrita aut destructa fuerunt, vel fluida vel solida.

Theoria vera digestionis seu concoctionis nos latet. Certe experimenta, extra corpus vivum instituta, nullo modo ad explicanda phenomena digestionis serviunt; nam alimenta quæcunque trituratione, calore, aut quibusvis processibus chemicis tractata nunquam in chylum vertuntur, sed mutationes alias, pro natura eorum diversa, subeunt : Carnes putrescunt, vegetabilia acescunt. Concoctio assumptorum bona et perfecta non tam motu ventriculi et intestinorum activo, sed præcipue primo a saliva durante masticatione in ore effusa, deinde a succi gastrici quantitate et qualitate debita in ventriculo, et demum in intestinis a bile et succo pancreatico admixtis pendet. Digestionis ergo, quocunque modo vitiatæ, causæ quærendæ erunt : 1° In qualitate aut quantitate alimentorum vel potulentorum assumptorum. 2° In masticatione. 3° In statu organorum digestioni inservientium. 4° In quantitate et qualitate salivæ, succi gastrici, bilis et liquoris pancreatici. 5° In calore; et 6° denique in motu seu actione debita

ventriculi et intestinorum. Multum præterea etiam a consuetudine pendet; sic Lappones aliæve nationes maximo tempore nonnisi carnibus aut piscibus vescuntur sine ullo symptomate putrefactionis, dum incolæ Indiæ orientalis, religioni Brahmæ addicti, solis vegetabilibus pro nutrimento utentes, sine ullo signo acescentiæ, sive in organis digestivis, sive in massa sanguinis per totam vitam sani vivunt. Inde patet, substantias omnes, sive animales sive vegetabiles, homini pro nutrimento servientes, elementa seu principia constitutiva similia continere, easque assumptas in ventriculo decomponi, et in hæc principia resolvi, quæ demum actione organorum et humorum digestioni inservientium novam compositionem inire et in chylum mutari videntur. Alimenta itaque proprie sic dicta, nulla per se salutaria vel insalubria esse patet, sed solum talia fieri, si cum statu præsenti ventriculi aliorumve organorum ac humorum digestioni inservientium conveniunt aut disconveniunt. Ventriculus sanus et fortis alimenta quæcunque, quantitate moderata assumpta, perfecte et facile; debilis vero aut morbosus eadem difficulter aut imperfecte digerit. Hoc ultimum præcipue contingit, si quantitas alimentorum assumptorum nimis copiosa, aut si alimenta

qualitate peccantia difficilioris digestionis, vel naturæ insuetæ fuerint. In hoc casu, vel ut pondus iners ventriculum gravant, vel in fermentationem, pro varia eorum indole, acidam, putridam abeunt, et sic loco humoris blandi, homogenei et ad nutritionem apti, partialiter aut totaliter in substantiam heterogeneam irritantem mutantur, quæ ructus, nauseam, vomituritionem, vomitum, aut dolorem in ventriculo excitat; vel ex eo in canalem intestinalem propulsa ex corpore per alvum ejicitur, aut per vasa lactea absorpta in massam sanguinis transit, et ex hac demum vi vitæ per excretoria varia ex corpore eliminatur. Sed hæc subactio actionem systematis vasorum longe majorem requirit, quam elaboratio et subactio chyli blandi et homogenei; ideo hic status diutius durans vim corporis magis minusve exhaurit; et ex hoc fonte corpus ad cachexias varias disponit; vel etiam ex substantia hac heterogenea, in systemate corporis pro parte retenta, cacochymia, aut morbi alii acuti vel chronici varii generantur.

A. Idiopathica.

Sp. 1. Dyspepsia *Organica*.

Ab affectione aut vitio quocunque ipsius ventriculi orta.

VARIAT pro causa remota:

α. A vulnere, erosione, contusione, concussione aut læsione quacunque ventriculi.

β. Ab inflammatione, apostemate, callo, ossificatione, ulcere, skirrho, carkinomate cardiæ, pylori, aut ipsius ventriculi.

γ. A dislocatione ventriculi.

δ. A debilitate, torpore, paralysi ventriculi.

ε. A nimia dilatatione ventriculi.

ζ. A vomitu frequente, arte vel sponte, excitato.

η. A defectu absorptionis per vasa brevia.

ϑ. Ab emphraxi vasorum ventriculi.

ι. A spasmo aut dolore ventriculi.

κ. A defectu aut vitiosa qualitate salivæ.

λ. A defectu aut vitiosa qualitate succi gastrici.

μ. A defectu aut vitiosa qualitate bilis.

ν. A coarctatione, aut compressione ventriculi:

1. Ex contractione chronica vel spasmodica ventriculi aut pylori.
2. Ex incurvatione cartilaginis xyphoideæ.
3. Ex mala conformatione costarum.
4. Ex tumore quocunque in ventriculo ipso vel in vicinia nato.
5. Ex graviditate.

6. Ex emphraxi aut tumore hepatis, splenis, pancreatis, omenti, mesenterii, intestinorum, uteri, ovariorum.
7. Ex pneumatosi, tympanitide, hydrope abdominis.
8. Ex anevrismate aortæ aut arteriæ cœliacæ.
9. Ex chordapso, volvulo, aliisve vitiis aut tumoribus duodeni, jejuni etc. propulsionem ingestorum ex ventriculo impedientibus.
10. Ex vestimentis aut fasciis abdomen et ventriculum nimis constringentibus.

Sp. 2. Dyspepsia *Repletionis.*

Variat:

α. Ab ingluvie seu alimentis, præcipue indigestibilibus, nimia copia assumptis.
β. Ab abusu aquosorum tepidorum; præcipue infusi theæ, coffeæ.
γ. Ab ebrietate temporanea vel habituali.
δ. A peregrinis indigestibilibus, lapidibus, terris, frustis vitreis, vel metallicis, acubus etc. deglutitis.
ε. A calculo aut pila in ventriculo generatis.
ζ. A lacte nutricis vitioso (lactantium).
η. A defectu exercitii corporis consueti.

ϑ. A defectu masticationis debitæ alimentorum.

Sp. 3. Dyspepsia *Inanitionis s.* exhaustionis.

VARIAT:

α. A debilitate ex morbis acutis aut chronicis præsentibus, aut prægressis.

β. Ab evacuationibus sanguinis vel muci nimiis.

γ. A veneris, anaphlasis, aut aselgotripsiæ excessu.

δ. A labore aut exercitio corporis nimio.

ε. Ab intensa mentis applicatione.

ζ. A fame aut inedia diutius perpessa.

η. A senio.

ϑ. A scorbuto, peliasi etc.

ι. Ab atmosphæra aut climate calido.

κ. Ab æquilibrio fluidi electrici, aërei vel subterranei, turbato.

λ. A miasmate aut veneno debilitante deglutito.

μ. Ab abusu liquorum spirituosorum (ebriorum).

ν. Ab abstinentia severa.

ξ. A defectu salivæ (sputatorum).

ο. A defectu succi gastrici.

Sp. 4. Dyspepsia *Irritationis.*

VARIAT:

α. A nicotiana-tabaco, forma pulveris per nares attracti vel mediante fumigatione aut masticatione, cum saliva deglutito.

β. Ab acribus, acidis, putridis deglutitis.

γ. A venenis variis metallicis vel vegetabilibus, irritantibus assumptis; præcipue arsenico, cupro, hydrargyro, plumbo etc. fungis venenatis etc.

δ. A miasmate acri irritante quocunque deglutito.

ε. Ab abusu opii aliorumve narcoticorum.

ζ. Ab usu medicamentorum amarorum, aut aromaticorum diutius continuato.

η. A saliva acri, ex dentitione, aphthis, ulceribus oris vel faucium syphiliticis, aut ex saliva, durante sialorrhœa hydrargyrica, deglutita.

ϑ. A saburra acida, biliosa, pituitosa etc. in ventriculo (saburralis).

ι. A vermibus, vel insectis in ventriculo nidulantibus.

κ. A vitiosa qualitate salivæ, succi gastrici, succi pancreatici, aut bilis.

B. Symptomatica.

Variat:

α. A febre (febrilis).

β. Ab arthritide rheumatica vel podagrica, aut erysipelate retrocedentibus.

γ. Ab exanthematibus, præcipue variola, rubeola etc. non rite prodeuntibus, aut retrocedentibus.

δ. A morbis cutis: herpete, psora, tinea etc. retropulsis (unde dyspepsia sæpe cum his morbis alternans).

ε. A podagra aberrante.

ζ. A galactoplania, lochioplania, vel uroplania.

η. A chlorosi.

ϑ. A scorbuto.

ι. Ab emphraxi vasorum vel viscerum abdominalium.

C. Sympathica.

Variat:

α. Ab animi pathematibus, præcipue ingratis.

β. A læsione capitis, cerebri.

γ. A graviditate.

δ. A morbis uteri variis.

ε. A turgescentia aliisve vitiis ovariorum.

ζ. A

ζ. A dolore violento.

η. A calculo urico renes, ureteres, aut vesicam irritante.

ϑ. A calculo felleo in ductu choledocho impacto.

ι. Ab hyperkinesia.

κ. Ab hernïa incarcerata.

G. CLX. AVANTE.

Gr. Αὐάντη, *Hipp.* Αὔανσις, ab ἄυω, arescere, exsiccare : Corporis exisccatio generalis.

Appetitus vorax fere perpetuo recurrens, cum sensatione ingrata in ventriculo fere ad leipothymiam usque; a cibo assumpto mox levamen, dein pondus, gravitas, et paullo post eadem esuries ut antea; subsequente paullatim exsiccatione seu emaciatione corporis generali.

N. B. Hic morbus æquo forsan jure ad *Marcores* referri posset; sed cum sedes ac causa ejusdem in ventriculo hæreat, et methodus medendi præprimis vitio organi affecti adaptari debeat, eum potius huc retuli.

Hunc morbum in operibus Hippocratis, lib. II de *Morbis*, qui vulgo Hippocrati attribuitur, graphice descriptum sæpius exacte talem vidi.

En textum Hippocratis, cui inter parentheses subjunxi peculiaria, quæ in meis ægris observavi. « Alius morbus est, græcis Ἀὐαντὴ, hoc est » *resiccatorius* dictus, in quo æger nec ine- » diam, nec cibum sumptum ferre potest (ap- » petitum voracem sentit, quem si non illico » explet, leipothymia corripitur; a cibo as- » sumpto per momentum levatur, dein grava- » tur; paulo post esuries ut antea redit et sic » tota fere die). » In jejuno intestina borbory- » gmos edunt, et ventriculi os mordetur, alias » varia vomit, bilem, salivam, pituitam et » acre, postque vomitionem aliquantisper » melius habere videtur. Ubi autem cibum » sumpsit, ructus ei contingunt, facies calet et » rubet; semper se copiosum alvi recremen- » tum dejecturum existimat; cum vero dese- » derit, flatus infra demittitur; caput dolore » vexatur (ita ut modo apoplexiæ ictum, modo » paralysin artuum inferiorum metuat æger; » pulsu interea semper irregulari) »; totum » corpus huc et illuc velut acu pungi videtur, » crura gravantur, debilitantur et imminuun- » tur, debilisque (toto corpore marcidus) » evadit. » Vide *Hippocratis opera edit. Foësii*, sect. V, pag. 484. de Morbis.

Huc etiam recte referri potest :

DIABETES *aut* DIPSACUS Græcorum.

Gr. Διαβήτης, a διὰ, per (urinam), et βαίνω, eo ; vel etiam Δίψακος, a Δίψα, sitis.

Fluxus urinæ, crasi sua mutatæ, immodicus, potum assumptum plerumque copia multum excedens, pulsu accelerato, appetitu voraci, et emaciatione seu exsiccatione corporis generali ac siti constanter urgente, indelebili stipatus.

Vide supra *Dyseccrises G. Urorrhagia.*

CL. III. O. V. DYSOREXIÆ.

A Gr. Δὺς, male, et ὄρεξις, appetitus : Appetitus erroneus aut depravatus.

CHARACTER. DESIDERIUM pro cibo aut potu capiendo abnorme, depravatum, immoderatum; vel imminutum, aut omnino abolitum.

Genera ad hunc ordinem spectantia sunt :

GENUS I. BULIMIA.
II. KITTA.
III. POLYDIPSIA.
IV. ANOREXIA.
V. ADIPSIA.

CL. III. O. V. DYSOREXIAE.

G. CLXI. BULIMIA.

Gr. Βούλιμος, a βοῦ, particula augendi, et Λιμὸς, fames.

Desiderium pro cibo capiendo constans aut perpetuo recurrens, insatiabile, sæpe cum sensatione vehementis suctionis in ventriculo; asthenia generalis, marcor corporis et frigus extremitatum.

Syn. Bulismus *s.* Boulimus; *s.* Bulimiasis.
Aplesia (Ἀπληστία), voracitas insaturabilis.
Kynorexia (Ὄρεξις κυνώδης gr.)
Cynorexia. } *Auct.*
Fames canina. } *Auct.*
Appetitus caninus. } *Auct.*
Addephagia (gr. Ἀδδηφαγία).
Polyphagia (gr. Πολυφαγία).
Pantophagia (gr. Παντοφαγία).

A. Voracious appetite.
G. Faim vorace.
Ge. Gefrässigkeit; übermässiger Hunger.

SPECIES vel VARIETATES sunt :

α. Bulimia a consuetidine (helluonum).
β. ——— a frigore externo intenso, præcipue cum exercitio corporis valido juncto.
γ. ——— ab acido in ventriculo.
δ. ——— a succo gastrico, acrimonia vel quantitate peccante.
ε. ——— a ductu choledocho vel pancreatico in ventriculum inserto.
ζ. ——— a propulsione ingestorum præter normam acccelerata.
η. ——— a defectu alimentorum.
ϑ. ——— a vermibus.
ι. ——— ab evacuationibus sanguinis, muci etc. profusis.

G. CLXII. KITTA.

Gr. Κίττα, aut etiam Ἀλλοτριοφαγία ab ἀλλότριον, peregrinum, insolitium, et φάγω edere.

Desiderium devorandi insolita, liquida vel solida, utplurimum non nutrientia: ut cretam, carbones, corium etc. Morbus plerumque symptomaticus.

SYN. Citta *L.*
Pica. *S.*
Malacia *V.*
Allotriophagia.

A. Longing.
G. Envie ; fausse envie.
Ge. Gelüsten ; Lüsternheit.

VARIAT:

α. Kitta gravidarum.
β. —— chloroticarum.
γ. —— scorbuticorum.
δ. —— infantum.
ε. —— a prava consuetudine.
ζ. —— a saburra acida, putridâ, pituitosa etc.
η. —— ab hæmorrhoidibus aut menstruis suppressis.
ϑ. —— post febrem.

G. CLXIII. POLYDIPSIA.

Gr. Πολυδιψία, a Πολὺς, multus et Δίψα, sitis: Sitis immoderata.

Potulentorum desiderium inexplebile constans, vel solito frequentius recurrens. Morbus utplurimum symtomaticus.

A. Immoderate thirst.
G. Soif excessive.
Ge. Widernatürlicher Durst.

Variat pro causa remota:

α. Polydipsia febrilis.
β. ——— hydropicorum.
γ. ——— urorrhagia seu diabete laborantium.
δ. ——— ab ingestis salitis, aromaticis.
ε. ——— a venenis assumptis.
ζ. ——— a saburra biliosa.
η. ——— a calore atmosphæræ intenso.
ϑ. ——— a dolore in quacunque corporis parte violento, diutius durante.

G. CLXIV. ANOREXIA.

Gr. Ἀνορεξία, ab α neg. et ὄρεξις, appetitus: Inappetentia.

Appetitus defectus.

A. Want of appetite.
G. Manque ou défaut d'appétit.
Ge. Mangel des Appetits.

Varietates anorexiæ sunt:

I. APOSITIA.

(Gr. Ἀποσιτία, ab ἀπὸ, *ab* (aversio) et σιτίον, alimentum.

A. Aversion to food.
G. Dégoût; repugnance à manger; aversion pour les alimens.
Ge. Eckel; Grauen.

II. NAUSEA (gr. Ναυτία, Ναυσία, nausea: Morbus nautarum). Inanis vomendi conatus.

SYN. Vomituritio *Lat.*

A. Nausea.
G. Nausée; envie de vomir.
Ge. Eckel; übelkeit.

A. Idiopathica.

Sp. 1. Anorexia *Organica.*

Sp. 2. Anorexia *Ingluviei* seu *repletionis.*

Sp. 3. Anorexia *Inanitionis* seu *exhaustionis.*

Sp. 4. Anorexia *Irritationis.*

VARIANT ut SPECIES eædem *Dyspepsiæ.* Vide DYSPEPSIA.

Sp. 5. Anorexia *Saburralis.*

VARIAT:

α. A bile.
β. A pituita.

γ. Ab indigestis in ventriculo morantibus.

δ. A vermibus in ventriculo.

ε. A materia contagiosa, miasmatica deglutita.

ζ. A deglutita materia prava ex ulceribus putridis, aut syphiliticis faucium, ozæna narium, carkinomate linguæ, dente carioso.

η. A deglutito tabaco sub quacunque forma.

B. Anorexia symptomatica.

Variat ut *Dyspepsia symptomatica.*

C. Anorexia sympathica.

Variat :

α. A prandio aut cœna solito diutius retardatis.

β. Ab imaginatione ingrata.

γ. A mania, epilepsia, kephalalgia, aliisve cerebri vitiis.

γ. A vitiis oris.

δ. ——— nasi.

ε. A graviditate.

ζ. A vitio quocunque viscerum aut vasorum abdominalium.

η. Ab hernia incarcerata.

ϑ. A dolore.

ι. Ab hyperkinesia.

κ. Ab animi pathematibus : mœrore, timore, amore.

λ. A dyscoilia.
μ. A vermibus intestinorum.
ν. A febre (febrilis).

G. CLXV. ADIPSIA.

Gr. Ἀδιψία, ab α neg. et δίψα, sitis.

Sitis defectus, seu aversio a potulentis abnormis.

A. Want of thirst.
G. Manque de soif.
Ge. Mangel an Durst.

CL. III. O. VI. PARANOIÆ.

Gr. Παράνοιαι, a παρὰ, præter, et νόος, mens, intellectus : Mentis, seu functionum intellectualium aberrationes.

Character. Functiones sensorii communis : Judicium, ratiocinium, imaginatio vel memoria, abnormes, ex vitio hæreditario, connato, vel acquisito ortæ; quandoque epidemice regnantes ; vel periodicæ , annuæ aut lunares.

Syn. Insaniæ s. dementiæ aut desipientiæ *Auct.*
Deliria *S.*
Vesaniæ *S.* et *Cull.*
Hallucinationes. } *S.*
Morositates. } *S.*
Mentales. } *L.*
Ideales. } *L.*

Genera ad hunc ordinem spectantia sunt :

Genus I. HYPOMORIA.
II. PARACOPE.

III. MANIA.
IV. CHÆRAPHROSYNE.
V. EROTOMANIA.
VI. ATHYMIA.
VII. NOSTALGIA.
VIII. APANTHROPIA.
IX. AGRIOTHYMIA.
X. MISOPSYCHIA.
XI. MORIA.
XII. AMNESIA.

OBSERVATIONES CIRCA PARANOIAS GENERALES.

Essentia mentis seu sensorii communis vi repræsentandi nititur. Mens corpus suum ope sensationis internæ communis (Κοιναισθησις *gr.*), et mundum ope sensuum externorum sibi repræsentat, et denique sua ipsius vi, seu facultate quam *Imaginationem* appellamus, has ex sensatione interna, vel a sensibus externis in cerebro excitatas mutationes absque objecto externo repetere, easque ope ratiocinii seu judicii inter se comparare valet. In statu sano et perfecto sensorii communis vis percipiendi, repræsentandi et ratiocinandi realitati et veritati objectorum conformis est; in statu vero ejusdem morboso, facultatum intellectualium aberrationes variæ, a Græcis *Paranoiæ* dictæ, locum habent.

Sensatio hominis de statu corporis sui falsa, aut sensationes per organa sensuum externa sensorio communi oblatæ, erroneæ vel abnor-

mes, imaginationes et ratiocinia erronea creant, et hisce positis etiam aversiones et desideria irregularia generant; nec sibi inter se, nec rei repræsentatæ ullo modo correspondentes. Æger in hoc statu sæpe imaginationem pro realitate, et rem realem pro imaginaria habet, et sic perverse vel de nexu suo cum mundo, vel de sua mentis et corporis conditione judicat; hujusque imaginationis perversæ correctionem non admittit; sed ad omnia argumenta surdus, omnes eos stultos esse credit, qui a se diverse sentiunt vel judicant; præterea simul plerumque memoria, seu facultate in mente repetendi ea, quæ paulo antea dixit aut fecit, destituitur.

In praxi multi casus occurrunt, in quibus summe difficile est, judicium certum ferre de existentia paranoïæ seu dementiæ. Illusiones imaginationis, ideæ confusæ, et judicii defectus in ægro, quandoque symptomata sunt aliorum morborum, absque quod insania proprie sic dicta adsit. Hinc non exigua sæpe cautella et patientia opus est ad rite determinandum, an æger revera insanus seu maniacus sit, necne. Ad judicium rectum ferendum, motiva cognita vel secreta parentum et consanguineorum maniam declarandi medico

sagaciter perscrutanda sunt. Sæpe educatio dura, nimis severa, quandoque vitium hæreditarium, quandoque morbi cutis retrocedentes aut retropulsi, menstrua suppressa etc. morbum induxerunt. Ex altera parte maniaci sæpe morbum suum sagacissime dissimulare norunt, aut causam ejus astute celare. — Regula generalis in hisce casibus medico sit, nunquam pronunciandi, determinandi, aut decidendi, subjectum oblatum esse maniacum ex narratione aliorum, aut etiam ex verbis ab ægro prolatis, aut ex modo cogitandi et ratiocinandi ejus absurda vel incongrua, si non simul actiones edat, quæ maniam vere adesse docent. In omni casu autem semper sollicite cavendum erit, ne æger maniacus furens alios lædat, aut maniacus tristis sibi ipsi vim inferat. In genere, si mania ex febre prægressa, ex puerperio laborioso, ex terrore, mœrore aut gaudio orta sit, vel ex drasticis, aut venenis narcoticis adhibitis, vel ex contusione capitis etc., medicus suadeat, antequam ægrum publico testimonio maniacum declaret, tentare medicamenta causæ morbi appropriata, aut tractare morbum primarium, ex quo insania symptomatica orta fuit. Eædem cautellæ requiruntur, ubi a medico testimonium de

mania

mania actu curata petitur. Nam in utroque casu gravia, imo irreparabilia quandoque mala oriri possunt ex errore medici, judicium leve aut incongruum ferentis. Post maniam longam æger nonnisi cautissime ad occupationes suas consuetas, aut ad recreationes ordinarias redire permittatur.

Ad Maniam fictam seu simulatam a vera distinguendam sagacitas acutissima sæpe requiritur.

Ad Maniam a Paracope seu delirio distinguendam, sequentia consideranda sunt:

Mania semper morbus chronicus est, quandoque per annos durans, plerumque sine ulla læsione in reliquis corporis functionibus: paracope seu delirium e contra utplurimum effectus est simultaneus, immediatus et directus morbi acuti. Præterea status mentis in hisce duobus morbis valde diversus est: in delirio æger nec percipit, nec objectum ullum præsens, lectum, cubile etc. cognoscit, adstantes non videt, nec audit ei loquentes. Maniacus vero percipit omnia, videt, audit, et sæpe cognoscit et comprehendit omnia quæ ei dicuntur; sed male et absurde ratiocinatur circa ea, quæ videt et audit. Omnes mentis facultates circa unum objectum peculiare cum violento ejusdem de-

siderio aut aversione apud eum concentratæ versantur. Maniacus sæpe probe ratiocinatur circa omnia, excepto subjecto peculiari; imo etiam bene circa objectum peculiare, sed ex falsis præmissis raciocinatur. In delirio contra ideæ fere omnes perturbatæ, et sine nexu sunt, simulque semper vel febris adest, vel functiones quædam corporis simul læsæ aut turbatæ apparent, dum maniaci utplurimum toto corpore, excepto sensorio communi, bene habent.

Illusiones, qnæ maniam constituunt et producunt, præcipuæ sunt: Arrogantia, vanitas, ira, vindicta, aut suspicio vel contemptus aliorum, utplurimum ex animi passionibus, educatione non debite refrænatis, oriundæ; hinc actiones et expressiones violentæ, furiosæ, quæ morbum sæpe comitantur.

Mania frequenter summa anæsthesia stipatur; præcipue ea species, in qua mens uni ideæ, aut paucis solum ideis intenta, a nulla fere alia impressione externa afficitur; ut præprimis in mania religiosa et in Martyribus observamus, in quibus idea felicitatis aut remunerationis æternæ adeo fortiter mentem tenet, ut nec ferro nec igne afficiantur, et frequenter per plures dies, quandoque etiam per plures septimanas, ab omni cibo aut potu

pertinaciter abstineant, radiis solaribus aut frigori intenso sese patienter exponant, et vulnera aut læsiones externas afflictas parvi faciant vel nullo modo sentiant. — Quandoque etiam in maniacis summum sensibilitatis gradum in perfectam insensibilitatem, seu anæsthesiam abire videmus. Maniaci a medicamentis non raro quibusvis, etiam heroicis aut drasticis, propinatis vix aut nullo modo afficiuntur.

CL. III. O. VI. PARANOIÆ.

CLXIV. HYPOMORIA.

A Gr. Ὑπὸ, sub, et μωρία, insania *s.* dementia; quasi diceres Sub-dementia.

Aberratio ratiocinii aut imaginationis levis, mitis, fugax, chronica.

A. Craked brain; lunacy; overshot; lunatic.
G. Tête brulée; motié fou; étourdi.
Ge. Verrücktseyn; Verrüktheit; Halbnarr.

G. CLXVII. PARACOPE.

Gr. Παρακοπὴ, delirium febrile.

Mentis alienatio, seu facultatis rationatricis, imaginationis ac memoriæ depravatio transitoria, febrilis, mitis vel ferox, assidua vel regulariter aut irregulariter remittens. Morbus utplurimum symptomaticus, præcipue pyrexiarum variarum comes.

Syn. Delirium febrile *Auct.*
Paraphrosyne aut paraphronia. (gr. Παραφροσύνη, *s.* Παραφρόνησις, *s.* Παραφρονία, a Πάρα, erronee, et φρονέω, sapio, intelligo).

Paraleros (gr. Παράληρος, a Λῆρος, delirium leve).

A. Delirium; delirious.

G. Délire; transport au cerveau; aliénation d'esprit.

Ge. Verrücktseyn; Verrückheit.

Sp. 1. Paracope *Sthenica.*

Delirium furiosum, incongrua loquacitate, clamoribus, jactitatione frequente, agrypnia, aut somno insomniis horridis turbato; sæpe etiam luctatione, magna audacia, violentiis, kephalalgia, oculorum splendore, vultu rubicundo turgido, hyperæsthesia generali, pulsatione vehementi arteriarum temporalium ac pulsu frequenti, pleno, forti aut duro stipatum. Morbus frequens sub decursu febrium, phlegmasiarum aut exanthematum sthenicarum; vel ex metastasi, aut etiam ex ebrietate ortus.

Sp. 2. Paracope *Asthenica.*

Delirium mite, stupore, cataphora, pulsu frequenti, celerrimo, sed quandoque etiam vix accelerato, parvo, debili, tremulo, irregulari, summo alysmo, kephalalgia, vertigine, facie pallida, oculorum hebetudine,

urina cruda, magna musculorum voluntariorum debilitate et asthenia generali stipatum. Frequens dialeipyrarum sub stadio frigoris, sed præcipue pyrexiarum variarum asthenicarum symptoma; quandoque etiam ex depletione vasorum subita post puerperium aut evacuationes sanguineas profusas, aut ex asthenia corporis generali post febres invadens.

VARIAT pro causa remota:

α. A congestione sanguinis versus caput in stadio frigoris dialeipyrarum, ex vasis cutaneis contractis; vel in stadio caloris febrium, phlegmasiarum vel exanthematum variorum.

β. Ab enkephalitide.

γ. A puerperio laborioso, difficili.

δ. Ab arthritide podagrica vel rheumatica, aut erysipelate, parotitide etc. retrocedentibus.

ε. A podagra aberrante.

ζ. Ab hæmoplania, lochioplania, galactoplania, uroplania.

η. Ab ebrietate.

ϑ. A venenis quibusdam, præcipue narcoticis.

ι. Ab animi pathematibus violentis: ira, gaudio, zelotypia.

κ. Ab agrypnia diuturna.

λ. A refrigerio corporis, sub usu hydrargyri.

μ. A debilitate seu asthenia corporis generali per febres prægressas inducta.

ν. A depletione vasorum enkephali subita post partum.

G. CLXVIII. MANIA.

Gr. Μανία, a μαίνομαι, insanio, furio.

Insania, seu mentis alienatio furibunda, permanens, chronica; plerumque cum magna arrogantia, contemptu aliorum et audacia juncta. Ægri hoc morbo affecti non raro immani musculorum robore gaudent, difficulter coërcendo, aut sæpe etiam vinculis vix cohibendo, parum dormiunt, clamant, vociferantur, inconcinna loquuntur, sæpe cum garrulitate immodica, sine ulla notitia aut attentione ad observationes aut admonitiones ab adstantibus ipsis factas; frigoris et caloris, æque ac sitis et famis summe patientes aut potius parum sensibiles sunt; amicos, quos antea optime amabant, odio habent, suspicantur et abhorrent; sæpe sibi aliisve vim inferre meditantur, sed intentiones

suas astute celare et assistentes fallere student (*).

A. Mania idiopathica.

Sp. 1. Mania *Organica.*

A vitio cerebri, cerebelli, meningum vel ossium capitis, hæreditario, connato, vel acquisito.

(*) Auctor modernus Dr *Mason Cox*, qui cæterum multa egregia de mania docet, hunc morbum in India Orientali, saltem apud indigenas (Hindous), nunquam existere asserit, sed ut mihi videtur, minus recte. Nam in *Institut. imperatoris Ayen Akbar* Sequentia lego: Hindous maniam, ut punitionem a cœlo inflictam, esse credunt, pro disobedientia patri, matri, vel superioribus; eam tamen curari posse autumant diæta, seu methodo *Chanderayin* dicta, qua injungitur ægro primo die nonnisi unicum bolum nutrimenti assumere; secundo die duos, tertio die tres bolos ei concedendos esse pro omni nutrimento, et sic porro augendo bolum unum omni die per mensem; dein diminuendo eodem modo omni die donec finiat, ut incepit. « *Madness* the » Hindous look upon as a punishment for disobedience » to father, mother or Peer. — » Let him perfom *Chan-* « *derayin*, which is to eat on the first day only one » mouthful; two mouthfuls during the second day, et » thus continue increasing a mouthful every day, for a » mouth; and then decreasing gradually a mouthful on » each day, till he leaves off as he began. » This they » reckon as a moral treatment. » Vide *Institut of Ayen* » *Akbar vol. III, p.* 169.

VARIAT pro causa remota:

α. A deformitate capitis vel ossium cranii connata vel acquisita.

β. A læsione capitis aut cerebri:

1. Ex vulneribus cranii prægressis.
2. Ex contusione, concussione, lapsu, ictu.
3. Ex intropressione, aut festucis, spiculis, exostosi, hyperostosi, aut carie ossium cranii.
4. Ex tumoribus aut excrescentiis, vel indurationibus, aut calculis cerebri vel meningum.

γ. A matre vel patre ebrietati deditis.

δ. Ab opio, vel liquoribus spirituosis durante infantia, frequenter propinatis.

ε. A compressione cerebri.

1. Ex hydatidibus aliisve vermibus.
2. Ex tumoribus aut excrescentiis in cerebro natis.
3. Ex hydrokephalo.
4. Ex concretione calculosa in glandula pineali, sinu falcato, aliisve partibus cerebri.
5. Ex congestione humorum, aut vasis cerebri turgidis.

ζ. A mollitie vel duritie cerebri vel cerebelli abnormi.

η. A meningibus cerebri incrassatis, induratis, concretis (*).

θ. A plexu choroideo turgido.

ι. Ab affectione syphilitica ossium cranii.

Sp. 2. Mania *Pathematica.*

Variat:

α. Ab ira violenta; vindictæ cupiditate.

β. A gaudio subito, vehementi.

γ. A zelotypia; suspicione.

δ. Ab amore violento frustrato, vel celato.

ε. A matrimonio coacto aut sine sympathia contracto; præcipue in iis qui dispositionem ad maniam ex matre aut patre maniaco habent.

ζ. Ab arrogantia stematis, honorum, fortunæ, divitiarum.

η. Ab ambitione; præcipue heroum, poëtarum etc.

ϑ. A fanaticismo religioso.

ι. Ab enthusiasmo libertatis.

κ. A vanitate, amore sui ipsius abnormi.

λ. Ab afflictione pulchritudinis amissæ.

(*) Varia cerebri aut cerebelli vel meningum vitia, post mortem in cadaveribus maniacorum detecta, sæpe ut effectus potius quam causa morbi, censenda esse credo; interim eadem hic recensere utile duxi.

μ. A neglectu educationis, passiones effrenas infantum compescendi.

ν. Ab hyperorgosi, machlosyne.

ξ. A terrore, metu, aut tristitia:

1. Ex fortuna amissa.
2. Ex morte, vel infortuniis parentum aut amicorum.
3. Ex gloria, honore etc. amissis.
4. Ex superstitione, aut falsis circa religionem ideis.

Sp. 3. Mania *Phantastica.*

Ab imaginatione erronea aut depravata.

Variat:

α. Ab idea morbis laborandi, qui non adsunt.

β. A vanitate aut arrogantia excessiva.

γ. Ab idea possidendi sanctitatem superiorem præ reliquis.

δ. Ab idea habendi pedes, clunes etc. ex stramine, cera, vitro fragili etc.

ε. Ab idea erronea ægrorum esse principes, reges, sanctos, deos.

ζ. Ab idea erronea, esse bellua, aut in animalia varia mutatos.

η. Ab idea erronea ægrorum, qua sese dæmone malefico obsessos, aut incantatos seu fascinatos esse persuatum habent.

θ. Ab idea erronea videndi vel audiendi etc. objecta, quæ actu non existunt.

ι. A propensitate constanti sibi vel aliis vim inferendi.

κ. A luxu, otio.

λ. A speculationibus commercialibus nimis extensis frustratis.

μ. A subita acquisitione divitiarum.

ν. Ab antipathia aut aversione objecti particularis.

Sp 4. Mania *Repletionis*.

Syn. Mania sthenica.

Variat:

α. A phletora generali.

β. A congestione sanguinis versus caput.

γ. Ab enkephalitide.

δ. A lochiis, menstruis, hæmorrhoidibus suppressis.

ε. Ab evacuationibus sanguineis aliisve consuetis intermissis.

ζ. A pure, sanguine, aqua sub cranio extravasatis.

η. Ab ebrietate aut abusu liquorum spirituosorum temporario.

ϑ. A refrigerio capitis, aut ab embrocatione capitis frigida.

Sp. 5. Mania *Metastatica.*

VARIAT :

α. A galactoplania, lochioplania, uroplania.

β. Ab arthritide podagrica, aut rheumatica, vel ab erysipelate retrocedentibus.

γ. A podagra aberrante.

δ. A parotitide retrocedente.

ε. A metastasi febrili.

ζ. Ab ulcere, fonticulo, sudore pedum topico etc. suppressis.

η. Ab herpete, psora, tinea, varis aut pustulis faciei, aliisve cutis vitiis retropulsis.

ϑ. A variola.

ι. A trichomate, aut etiam a capillis sanis incaute resectis.

κ. A dialeipyra incaute suppressa.

λ. Ab exanthematibus repercussis aut retrocedentibus.

μ. Ab evacuationibus sanguineis aliisve consuetis suppressis.

Sp. 6. Mania *Exhaustionis* s. *inanitionis.*

SYN. Mania asthenica.

Æger debilis, pallidus, macilentus; frigus extremitatum; sudores topici, fœtidi; oppressio; palpitatio, vel syncope ex levi exercitio; magna virium prostratio.

Variat :

α. Ab inedia, fame.

β. Ab evacuationibus sanguinis profusis.

γ. Ab excessu veneris, anaphlasis, aselgotripsiæ.

δ. A lactatione nimia.

ε. Ex partu longo et difficili.

ζ. Ab agrypnia diuturna.

η. A nimia mentis intentione, studiis etc.

θ. Ab hyperkinesia.

ι. A morbis capitis violentis : epilepsia, apoplexia, kephalæa etc. prægressis.

κ. A morbis acutis violentis prægressis.

λ. Ab ebrietate habituali.

μ. A venenis, præcipue narcoticis assumptis : Opio, croco, cannabi, belladonna, datura stramonio etc.

ν. A scorbuto.

ξ. A senio.

ο. A morbis chronicis variis violentis prægressis.

B. Mania sympathica.

Variat :

α. Ab odontalgia ex dente carioso, aut apparenter sano.

β. Ab irritatione violenta ex insectis in aure hospitantibus.

γ. A vermibus vel insectis in naribus.

δ. A prosopalgia, aliove dolore intenso.

ε. Ab epilepsia.

ζ. Ab hyperkinesia.

η. A graviditate.

ϑ. A distokia.

ι. Ab hyperorgosi; machlosyne.

κ. Ab ovariis turgidis.

λ. A seminis abundantia.

μ. A castitate severa.

ν. A coitu consueto intermisso.

ξ. Ab influxu lunæ (periodica).

ο. Ab influxu electricitatis, aëreæ vel subterraneæ.

C. Mania symptomatica.

Variat:

α. A saburra gastrica: ex bile flava vel atra, pituita etc.

β. A vermibus aut insectis in ventriculo vel intestinis nidulantibus.

γ. A venenis narcoticis assumptis.

δ. A plumbo.

ε. Ab emphraxi vasorum vel viscerum abdominalium.

ζ. A vitiis ventriculi vel intestinorum.

η. A vitiis pancreatis : tumore, skirrho, calculo.

ϑ. A vitiis omenti.

ι. A vitiis splenis.

κ. A skirrho vel infarctu gandularum meseraicarum.

λ. A vitiis hepatis.

μ. A vitiis ovariorum vel uteri variis.

ν. A morbis mammarum.

ξ. A morbis cordis variis.

Huc etiam referri potest :

Mania puerperarum.

Varians pro causa remota :

α. A congestione sanguinis versus caput durante partu.

β. A dystokia.

γ. A doloribus violentis.

δ. Ab hyperkinesia.

ε. A contusionibus aut læsione violenta genitalium durante partu.

ζ. A subita sanguinis post partum in vasa abdominalia derivatione.

η. A saburra gastrica durante graviditate accumulata. (Frequenter occurrens).

ϑ. A galactoplania (magna utplurimum linguæ volubilitate, ac versabilitate stipata).

G. CLXIX.

G. CLXIX. CHÆRAPHROSYNE.

Gr. Χαιραφροσύνη, a χαίρω, lætor, et ἀφροσύνη, insania.

Insania læta et jucunda, qua ægri utplurimum sese cæteris hominibus feliciores: divites, principes, reges, vel sanctos deosve etc. esse existimant. Morbus plerumque ex vanitate, enthusiasmo religioso, aut spe beatitudinis æternæ superstitiosa, oriundus.

Syn. Pareuthymia (gr. Παρευθυμία).
Pareuphrosyne (gr. Παρευφροσύνη).
Stultitia hilaris. }
Fatuitas. } *Auct.*
Lætitia aut hilaritas stulta. }

G. CLXX. EROTOMANIA.

Mentis alienatio mitis, læta vel tristis, chronica, quandoque furibunda cum amore imaginario vel reali; plerumque ex amore infelici, solitudine, vel lectura librorum phantasticorum, aut ex castitate severa, vel ex defectu coitus consueti etc. oriunda.

Sp. 1. Erotomania *Phantastica.*

Mentis alienatio ex objecto viso vel imaginario, pulchritudine sua imaginationem intense diu noctuque occupante, non raro ad autochoriam vel ad vindictam atrocem ducens. Ægri objectum suum amatum pro numine venerantur, omnibus ejus nutibus imaginariis obsequiosi et quasi devoti, vitam in ejus admiratione consumunt, ejus absentia contristati, præsentia exhilarati, sæpe noctes insomnes agunt, alimenta sumere negligunt, negotia sua parvi faciunt.

A. Sentimental love.
G. Amour sentimental.
Ge. Liebträumerey.

Sp. 2. Erotomania *Physica.*

Mentis alienatio chronica cum effreno coitus desiderio. Morbus utriusque, sed frequentius sequioris sexus, sæpe cum ingenti genitalium pruritu vel dolore junctus, ita ut mulier assidue manus eis admoveat, atque intolerabili veneris desiderio contabescat; frequenter simul excretione humoris acris ac mordacis ex genitalibus stipatus. Vide etiam O. Dysgennesiæ, G. *Machlosyne* et *Hyperorgosis.*

G. CLXXI. ATHYMIA.

Gr. Ἀθυμία, ab α neg. et θυμὸς, animus, impetus animi : Animi dejectio, consternatio, tristitia, desperatio.

Insania chronica, tristis, utplurimum meditabunda, constans, et circa unum potissimum subjectum versans. Morbus præcipue macilentis, fibra rigida et sensibilitate torpida præditis, vulgo *Melancholicis* dictis, infestus.

SYN. Mania timorosa. } *Auct.*
——— melancholica. }
Melancholia.
Μελαγχολία *Hipp.* (*).

A. Melancholy; despondency, despair; broken heart.
G. Melancholie.
Ge. Schwermuth; Schwermüthigkeit.

(*) Græci causam hujus dementiæ ab atra bile in vasis aut visceribus abdominis hærente derivarunt, unde nomen *Melancholia* a μέλας, niger, ater, et χολὴ bilis; sed bilis et emphraxis vasorum vel viscerum abdominalium, etsi frequens, minime constans aut sola morbi hujus causa est; hinc vocabulum *Melancholia*, ut improprium rejiciendum esse putavi.

Sp. 1. Athymia *Phantastica.*

Insania tristis, in qua ægri perpetuo et gravi circa valetudinem suam angore vexantur; sese in periculo mortis esse, vel uno aut pluribus morbis gravibus et insanabilibus laborare credunt, quibus revera non laborant, aut quorum nulla indicia apparent; vitam spernunt et amant: Alii membra ex cera, terra, vitro etc. habere, aliave absurda credunt, et falsæ huic ideæ affixi, omnes vitæ delicias fugiunt.

Huc pertinent:

Psora imaginaria.
Syphilis imaginaria.
Tabes dorsalis imaginaria.
Impotentia imaginaria.
Apoplexia, paralysis, emphraxis viscerum etc. imaginariæ.
Membra corporis imaginaria.

Sp. 2. Athymia *Religiosa.*

Insania, in qua ægri, alto mœrore sepulti, Deum ejusque severa judicia timent, de ejus gratia et de propria sua salute desperantes, et terrore inferni vexati, non raro ad ipsam autochiriam compelluntur: Alii sese commercio cum dæmone junctos, aut malo spiritu revera

sese obsessos esse credunt, et de tempore in tempus furunt. — Morbus præprimis ex ingenii imbecillitate, perverso aut pravo religionis cultu, prædestinationis idea, pœnarum æternarum dogmatibus, superstitione ignara, aliisque ineptiis credulitatis oriundus, maxime fœminis, plebi, pauperibus infestus, unde *Dæmonomania, Cacodæmonia Auct.*; et hinc etiam dæmonia ejicere idem apud Hæbræos et Græcos significat, ac maniacos curare.

Sp. 3. Athymia Pleonectica. (*Avara*).

Insania tristis, in qua ægri ex jactura fortunæ, et vera paupertate, vel ex metu paupertatis aut jacturæ fortunæ, etsi opibus et divitiis abundantes, sibi suisque sæpe non solum commoda, sed etiam necessaria ad vitam denegant.

Sp. 4. Athymia *Sympathica*.

Insania tristis ex sympathia cum miseriis et calamitatibus aliorum orta, sæpe ad autochiriam usque ducens.

Sp. 5. Athymia *Attonita*.

Insania tristis, in qua ægri locum movere recusant; nec situm mutant nisi coacti; sedentes aut jacentes non surgere, vel stantes

nunquam sedere aut decumbere volunt, artubus quasi rigidis et uno loco affixis; interrogati non respondent; ad objecta visui et auditui oblata non attendunt; medicamenta omnia recusant, nec cibum nec potum sumere curant; vel si oblata sumunt, quasi inconscie devorant.

Sp. 6. Athymia *Errabunda.*

Insania, in qua ægri timidi, mœsti, noctivagi per sepulchreta, per solitudines oberrant quietis omnis incurii; quandoque stato quodam anni tempore instar canum, luporum, boum, equorum etc. ululant, latrantque etc. ac sese in hæc, aliave animalia mutatos esse credunt; deinde, et quandoque nonnisi post longum tempus, sani ad se redeunt. Hujus exempla memorabilia *Saül* et *Nabucadnezar* exhibent, nec non fabulæ de fascinatoribus, sagis etc. in historia relatæ.

SYN. Kynanthropia. }
Lycanthropia. } *Græc.*
Buanthropia. }
Calab, *Arabum.*

SPECIES Athymiæ VARIANT fere, ut Maniæ. Vide supra *Mania.*

G. CLXXII. NOSTALGIA.

A Gr. Νοστέω, redeo, et Ἄλγος, mœror.

Insania tristis, in qua ægri desiderio vehementi et insuperabili in patriam redeundi affliguntur, et sæpe, si huic desiderio satisfacere non possunt, ex mœrore moriuntur, vel vitam sponte sibi adimunt. Morbus maxime nativis Alpium infestus.

Syn. Nostomania *Zwinger*.
Nostrassia *Auct*.

A. Longing for home; Broken heart.
G. Maladie du pays.
Ge. Heimweh.

G. CLXXIII. APANTHROPIA.

Gr Ἀπανθρωπία, ab α privat., et ἄνθρωπος, homo: Aversio a societate hominum.

Odium hominum, in quo ægri tristes urbes, civitates et consortia hominum quævis fugiunt, abhorrent, et in locis desertis, montibus, sylvis etc. vitam solitariam degere præferunt.

Vide etiam *Athymia errabunda*.

A. Misanthropy.
G. Misanthropie ; misanthrope.
Ge. Menschenhass.

Circa Species et Varietates Apanthropiæ vide *Mania.*

G. CLXXIV. AGRIOTHYMIA.

Gr. Ἀγριοθυμία, a Θυμὸς, animus ; vel etiam Ἀγριοσύνη, ab Ἄγριος, ferox, atrox : Insania ferox.

Mentis alienatio cum desiderio aut machinatione constanti exercendi actus feroces aut crudeles : Mordendi, cædendi, vel vitam hominum aut animalium innocentium adimendi.

A. Ferociousness ; ferocious Character.
G. Férocité de caractère.
Ge. Wildheit ; Grausamkeit.

Circa Species et Varietates Agriothymiæ vide *Mania.*

Sp. 1. Agriothymia *Ambitiosa.*

Desiderium effrenatum alios homines vel populos subjugandi, aut exterminandi.

Sp. 2. Agriothymia *Religiosa* (*Fanatica.*)

Desiderium effrenum alios homines diversæ

opinionis religiosæ torquendi, plectendi, aut trucidandi.

Sp. 3. Agriothymia *Hydrophobica.*
Κυνόλυσσα *Græc.* Rabies canina *Lat.*

Desiderium effrenatum alios mordendi, ex morsu canis aut alius animalis rabidi ortum.

G. CLXXV. MISOPSYCHIA.

Gr. Μισοψυχία, a Μισέω, odere, et Ψυχὴ, vita: Odium, seu tædium vitæ.

Insania, in qua ægri languidi, mœsti, vitæ pertæsi desiderium constans sentiunt sibi vitam adimendi. Morbus per menses, non raro etiam per annos durans, sæpe ex jactura honoris, famæ, fortunæ; quandoque ex emphraxi vasorum vel viscerum abdominalium, aut ex amore, vel ex falsa religionis idea aut ex idea libertatis exaltata ortus; quandoque etiam ægri sine ulla causa morbi apparente, res suas componunt, amicis valedicunt, et tranquille mortem sibi inferunt. Morbus non raro in apoplexiam, epilepsiam aut in maniam furibundam abiens.

A. Weariness of Life.

G. Désir du Suicide.

Ge. Uberdruss des Lebens.

Sp. 1. Misopsychia *Phantastica*.

Ex imaginatione erronea, abnormi, vel animi pathematibus intensis variis orta.

N. B. Puellas Milesiacas turmatim hoc morbo laborasse, ex historia discimus.

Sp. 2. Misopsychia *Cerebralis*.

Ex vitio organico cerebri oriunda.

Sp. 3. Misopsychia *Gastrica*.

Ex emphraxi vasorum, vel viscerum abdominalium oriunda.

Circa Species et Varietates Misopsychiæ vide etiam *Mania*.

G. CLXXVI. MORIA.

Gr. *Μωρία s. Μώρωσις*, vel etiam *Ἄνοια*, ab *α* neg. et *νόος*, animus, intellectus : Amentia.

Judicii, ratiocinii, imaginationis, memoriæ, aliarumque mentis facultatum imbecillitas seu defectus, plerumque

cum anerethisia et anæsthesia, citra delirium aut soporem (*).

A. Idiotism; fatuity; fooishness.
G. Imbecillité d'esprit.
Ge. Blödsinn.

SYN. Anoia (Ἄνοια, *Gal.*) (**)
Aphrosyne (Ἀφροσύνη, Gr.)
Amentia *S. Cull.*
Stupiditas *V.*
Dementia.
Vecordia.
Fatuitas.
Imbecillitas mentis.
Hebetudo.
Stoliditas.
Idiotismus.
Cretinismus.
} *Auct.*

Sp. 1. Moria *Connata.*

VARIAT :

α. A deformitate capitis aut vitio cerebri, ab

(*) Homines moria seu amentia laborantes, utplurimum incurabiles, minime confundi debent cum maniacis, nec cum hisce in eodem loco includi.

(**) *Anoia* Galeno dicitur facultatis ratiocinii, imaginationis et memoriæ abolitio seu privatio; hinc nonnisi gradu differt a moria, quæ diminutio tantum est harum facultatum.

osse occipitis deformato, angustato, a medulla oblongata, vel a vasis aut nervis ex ea orientibus compressis.

β. A matre vel patre ebrietati deditis.

Sp. 2. Moria *Acquisita*.

Variat:

α. A vitio organico cerebri vel ossium capitis.

β. Ab ictu capitis.

γ. Ab hydrokephalo.

δ A tumore cerebri, aut ab hydatidibus sub cranio nidulantibus.

ε. A frequente administratione opii vel spirisorum infantibus.

ζ. A quibusdam venenis; præcipue narcoticis.

η. A senio.

ϑ. A evacuationibus sanguinis profusis.

Sp. 3. Moria *Endemica*.

In quibusdam præcipue Alpium regionibus frequens. An ex situ domicilii super strata terræ peculiaria?

G. CLXXVII. AMNESIA.

Gr. Ἀμνηστία, ab α neg. et μνήμη, memoria: Memoriæ defectus.

Memoriæ, seu facultatis ideas in mente antea perceptas reproducendi, aut reproductas recognoscendi imminutio vel abolitio. — Cognoscitur sæpe amnesiæ initium ex eo, quod ægri obliviosi non sibi cohærantia loquantur, et nonnisi monosyllabis utantur.

Syn. Oblivio morbosa *Lat.*

A. Loss of memory.
G. L'oubli; perte de memoire.
Ge. Verlurst des Gedâchtnisses.

Sp. 1. Amnesia *Traumatica.*

A vulnere, ictu, percussione capitis orta.

Sp. 2. Amnesia *Plethorica.*

A lochiis, menstruis, hæmorhoidibus suppressis orta.

Sp. 3. Amnesia *Pathematica.*

Ex terrore, metu, tristitia oriunda.

Sp. 4. Amnesia *Asthenica*.

VARIAT:

α. Post febres acutas.

β. A senio.

γ. Ab evacuationibus nimiis.

δ. A kephalalgia.

ε. Ab ebrietate habituali.

ζ. Ab opii frequente usu.

η. A quibusdam venenis assumptis.

FINIS VOLUMINIS PRIMI.

INDEX SYSTEMATICUS
MORBORUM,
IN PRIMO VOLUMINE CONTENTORUM.

Pagina.

CLASSIS I. PYREXIÆ. 1

ORDO I. FEBRES. 3

A. Febres Protopathicae s. Primariae. *Ib.*

Sectio I. Febres Diariae. 14

Genus I. Ephemeropyra. *Ib.*

Sect. II. Febres Continuae. *Ib.*

G. II. Sthenopyra. 16
III. Asthenopyra. 18
IV. *Phlegmapyra.* 20
V. Septorrhepyra. 21
VI. Loimopyra. 23
VII. Ochropyra. 25

Sect. III. Febres Continuae Remittentes. 28

G. VIII. Helopyra. 30
IX. Cholepyra. 35
X. *Rheumatopyra.* 39

Pagina.

Sect. IV. Febres Intermittentes. 40

G. XI. Dialeipyra. 41

B. Febres Deuteropathicae *s.* Symptomaticae. 43

G. XII. Syntecopyra. *Ib.*
XIII. Marasmopyra (*s.* Hecticopyra). 45
XIV. Nevropyra. 46
XV. Galactopyra. *Ib.*
XVI. Helminthopyra. 48

ORDO II. PHLEGMASIÆ. 49

Sect. I. Phlegmasiae Phlegmonodes. 68

G. XVII. Enkephalitis. *Ib.*
XVIII. Parotitis. 74
XIX. Antiaditis. 76
XX. Pneumonitis. 79
XXI. Pleuritis. 83
XXII. Carditis. 87
XXIII. Diaphragmatitis. *Ib.*
XXIV. Peritonitis. 88
XXV. Gastritis. 90
XXVI. Enteritis. 92
XXVII. Hepatitis. 97
XXVIII. Splenitis. 100
XXIX. Pancreatitis. 101
XXX. Nephritis. 102

Pagina.

G. XXXI. Osphytis. 104
XXXII. Orchitis. 108
XXXIII. Ovaritis. 109
XXXIV. Hysteritis. 110
XXXV. Mastitis. 113
XXXVI. Dermatitis. 114

Sect. II. Phlegmasiae Blennodes. 116

G. XXXVII. Ophthalmitis. 118
XXXVIII. Otitis. 123
XXXIX. Isthmitis. 125
XL. Laryngitis. 128
XLI. Bronchitis. 129
XLII. Kystitis. 131
XLIII. Catarrheuma. 133
XLIV. Aphtha. 138
XLV. Dysenteria. 139
XLVI. Erysipelas. 144

Sect. III. Phlegmasiae Inodes. 147

G. XLVII. Arthritis. 148
Myonitis. 149

ORDO III. EXANTHEMATA. 155

Sect. I. Exanthemata Contagiosa. 157

G. XLVIII. Variola. 157
XLIX. Varicella. 160

Pagina.

G. L. Rubeola. 161
LI. Scarlatina. 164

SECT. II. EXANTHEMATA NON CONTAGIOSA. 166

G. LII. Pemphigus. *Ib.*
LIII. Zoster (*s.* Zona). 167
LIV. Essera. 170
LV. Urticaria. 171
LVI. Miliaria. 172
LVII. Petechiæ. 174

CLASSIS II. DYSECCRISES. 175

ORDO I. APOKENOSES. 177

SECT. I. APOKENOSES ACTIVAE. 179

G. LVIII. Hæmorrhagia. *Ib.*
LIX. Blennorrhagia. 187
LX. Pyorrhagia. 194
LXI. Cholerrhagia. 197
LXII. Melænorrhagia. 198
LXIII. Urorrhagia (s. *Diabetes*). 200

SECT. II. APOKENOSES PASSIVAE. 202

G. LXIV. Hæmorrhoea. *Ib.*
LXV. Blennorrhoea. 209
LXVI. Diarrhoea. 211
LXVII. Urorrhœa. 217

		Pagina.
G. LXVIII.	Hyperhidrosis.	218
LXIX.	Otorrhœa.	220
LXX.	Dacryrrhœa.	222
LXXI.	Sialorrhœa (*s.* Ptyalismus).	223
LXXII.	Dysodia.	224
LXXIII.	Physepsophia.	227
Sect. III. Apokenoses Eclyticae.		228
G. LXXIV.	Galactacrasia.	*Ib.*
LXXV.	Spermacrasia.	229
LXXVI.	Uracrasia.	232
LXXVII.	Scoracrasia.	236
ORDO II. EPISCHESES.		238
G. LXXVIII.	Ischæmia.	239
LXXIX.	Ischolochia.	240
LXXX.	Ischomenia.	242
LXXXI.	Dysmenia.	245
LXXXII.	Ischoblennia.	247
LXXXIII.	Ischopyosis.	248
LXXXIV.	Ischidrosis.	*Ib.*
LXXXV.	Ischuria.	249
LXXXVI.	Dysuria.	255
LXXXVII.	Ischocoilia.	258
LXXXVIII.	Dyscoilia.	262
LXXXIX.	Ischogalactia.	264
XC.	Dysthelasia.	266
XCI.	Dyspermasia.	268

Pagina.

ORDO III. APOPLANESES. 270

G. XCII. Hæmoplania. *Ib.*
XCIII. Galactoplania. 271
XCIV. Pyoplania. 273
XCV. Uroplania. *Ib.*
XCVI. Hidroplania. 274
XCVII. Metastasis. *Ib.*

CLASSIS III. DYSERETHISIÆ ET DYSÆSTHESIÆ. 277

ORDO I. ECLYSES. 292

G. XCVIII. Anerethisia. 293
XCIX. Anæsthesia. 296
C. Asthenia. 297
CI. Cataphora. 307
CII. Apoplexia. 310
CIII. Paralysis. 315
CIV. Syncope. 320
CV. Apnœasphyxia. 326

ORDO II. SPASMI. 331

Sect. I. Spasmi Tonici. 333

G. CVI. Tetanus. *Ib.*
CVII. Spasmus (*s.* Crampus). 335

		Pagina.
Sect. II. Spasmi Clonici.		343
G. CVIII.	Convulsio.	*Ib.*
CIX.	Eclampsia.	349
CX.	Epilepsia.	350
CXI.	Ballismus.	352
CXII.	Ptarmus.	354
CXIII.	Lygmus.	354
CXIV.	Hyperemesia.	360
CXV.	Myrmekiasis.	363
ORDO III. ALGEMATA.		366
G. CXVI.	Dysphoria.	370
CXVII.	Alysmus.	372
CXVIII.	Cnesmus.	374
CXIX.	Kephalalgia.	378
CXX.	Prosopalgia.	387
CXXI.	Ophthalmodynia.	389
CXXII.	Otalgia.	390
CXXIII.	Odontalgia.	393
CXXIV.	Dysodontiasis.	394
CXXV.	Gasteralgia.	395
CXXVI.	Enteralgia.	404
CXXVII.	Hepatalgia.	414
CXXVIII.	Splenalgia.	417
CXXIX.	Nephralgia.	418
CXXX.	Kystalgia.	421
CXXXI.	Hysteralgia.	424

Pagina.

G. CXXXII. Proctalgia. 429
CXXXIII. Ædoiodynia. 432
CXXXIV. Mastodynia. 434
CXXXV. Pleurodynia. 437
CXXXVI. Notalgia. 439
CXXXVII. Osphyalgia. 440
CXXXVIII. Ischialgia. 444
CXXXIX. Myodynia. 447
CXL. Arthrodynia. 449
CXLI. Osteodynia. 451

ORDO IV. DYSKINESIÆ. 453

G. CXLII. Hypererethisia. 455
CXLIII. Hyperæsthesia. 459
CXLIV. Hyperkinesia. 461
CXLV. Agrypnia. 471
CXLVI. Rhembasmus. 473
CXLVII. Catalepsis. 476
CXLVIII. Ilingus. 478
CXLIX. Tromus. 484
CL. Cardiopalmus. 486
CLI. Tussis (s. Bexis). 488
CLII. Pertussis. 493
CLIII. Dyspnœa. 496
CLIV. Asthma. 503
CLV. Pnigalion. 506
CLVI. Pnigophobia. 508

		Pagina.
CLVII.	Hydrophobia.	511
CLVIII.	Dyscataposia.	514
CLIX.	Dyspepsia.	519
CLX.	Avante.	529
ORDO V. DYSOREXIÆ.		532
G. CLXI.	Bulimia.	533
CLXII.	Kitta.	534
CLXIII.	Polydipsia.	535
CLXIV.	Anorexia.	536
CLXV.	Adipsia.	539
ORDO VI. PARANOIÆ.		540
G. CLXVI.	Hypomoria.	548
CLXVII.	Paracope.	548
CLXVIII.	Mania.	551
CLXIX.	Chæraphrosyne.	561
CLXX.	Erotomania.	*Ib.*
CLXXI.	Athymia.	563
CLXXII.	Nostalgia.	567
CLXXIII.	Apanthropia.	*Ib.*
CLXXIV.	Agriothymia.	568
CLXXV.	Misopsychia.	569
CLXXVI.	Moria.	570
CLXXVII.	Amnesia.	573

ERRATA, VEL OMISSA IN VOL. I.

PAG. 14, *post lineam* 1, *insere* A. FEBRES PROTOPATHICÆ, *s.* PRIMARIÆ.
— 30, *lin.* 12, *dele* Febris.
— 31, *lin.* 10, *post* Marsh-fever, *insere* : Mountain fever of the Eastindies.
— 43, *lin.* 8, *loco* Sect. V. Febres anomalæ, *lege* : B. FEBRES DEUTEROPATHICÆ, *s.* SYMPTOMATICÆ.
— 87, *lin.* 1, *loco* G. XXI, *lege* G. XXII.
— 119, *linea* 3, *adde* (Blepharitis.)
— 128, *loco* G. XXXVI, *lege* G. XL.
— 129, — XL, — XLI.
— 131, — XLI, — XLII.
— 133, — XLII, — XLIII.
— 138, — XLIII, — XLIV.
— 139, — XLIV, — XLV.
— 187, *post lin.* 13, *insere* : *Sp.* 6. Hæmorrhagia *urethral* (*Urethrorrhagia sanguinea.*) Vide *Hæmorrhoea viarum urinariarum.*
Pag. 187, *lin.* 14, *loco* *Sp.* 6, *lege* *Sp.* 7.
— 191, — 3, — koleorrhagia, *lege* kysthorrhagia.
— — — 4, — koleositis, — kysthitis.
— 197, — 2, — bilis fluxus, — Bilis.
— 222, — 5, — G. LXXI, — G. LXX.
— 315, — 1, — G. CII, — G. CIII.
— 347, — 12, — *Sp.* 5, — *Sp.* 4.
— 348, — 9, — *Sp.* 6, — *Sp.* 5.
— — — 22, — *Sp.* 7, — *Sp.* 6.
Post p. 353, *loco p.* 352, *lege p.* 354, *et sic porro* 355 *et* 356.
Pag. 445, *lin.* 11, *loco* Ischias, *lege* Ischialgia.
— 446, — 7, — — — —
— — — 13, — — — —
— 449, *post lin.* 21, *insere* *Sp.* 2. Arthrodynia *apostematodes.*
— — *lin.* 2, *ab infra loco* *Sp.* 2, *lege* *Sp.* 3.
— 450, *lin.* 10, *loco* *Sp.* 3, *lege* *Sp.* 4. *et loco* *Sp.* 4, *lege* *Sp.* 5.
Post p. 452, *loco* 253, *lege* 453.
Pag. 497, *lin.* 3, *loco* *Sp.* 2, *lege* *Sp.* 1.
— 508, — 14, — G. XIV, — G. CLVI.
— 548, — 2, — CLXIV, — G. CLXVI.
In pluribus locis, loco Idiopathicum, *lege* Protopathicum.